AUTHOR:

BEUCHEL, FELIX

TITLE:

DE LEGIONE ROMANORUM I ITALICA

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1903

Master Negative #

91-80101-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Beuchel, Felix. 1877-
De legione Romanorum I Italica. Dissertatio inauguralis. Lipsiae, 1903.
Map. "Vita," after p. 127.

Vol. of pamphlets.

Rome (state)–Mil. Antiq. (Special Topics)§Legion HCL 13-1806

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x ZA
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/27/91 INITIALS BY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

LEGIONE ROMANORUM I ITALICA

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

FELIX BEUCHEL
LIPSIENSIS

LIPSIAE
TYPIS J. J. WEBERI
MCMIII

DE LEGIONE ROMANORUM I ITALICA

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

FELIX BEUCHEL
LIPSIENSIS

LIPSIAE
TYPIS J. J. WEBERI
MCMIII

Rettulerunt ad Ordinis philologos de hac dissertatione

Wachsmuth Marx

Lipsiae, die XV. mensis Ianuarii a. MDCCCCIII

procancellario

Birch-Hirschfeld.

CURTIO WACHSMUTH

CONRADO CICHORIUS

SACRUM

De singulis legionibus quid statui quidve conici possit disquirere atque explicare quamquam iam multi viri docti sibi proposuerunt, tamen multos etiam nunc operam navare necesse est, ut omnia illa frustula colligantur, e quibus quid quaeque legio gesserit cognoscitur. Tum demum e re erit historiam, quam vocant, legionum Romanorum denuo componere atque de re militari eorum in universum accuratius disserere. Ad eiusmodi opus praeparandum me quoque, cum de legione I Italica quaestionem instituam, pro parte collaturum esse spero.

CAPUT I.

DE ORIGINE, NOMINIBUS, DELECTU LEGIONIS I ITALICAE.

1. De origine legionis.

De primordiis legionis I Italicae cum nulla fere dissensio inter viros doctos [1]) exstiterit, inutile atque supervacaneum munus videor suscipere, cum retractare illam quaestionem instituam. Sed quamquam concedendum est me ad alium exitum non esse perventurum, tamen hanc rem denuo in disceptationem vocandam esse putavi, quoniam qui antehac inquisiverunt, coniectando potius assecuti sunt quam certis argumentis demonstraverunt, quando et qua de causa legio creata esset.

---

[1]) Scripserunt de legione I Italica: De Vit, Onomasticon (lexico Forcelliniano adiunctum), Prati 1859—1887, III p. 607 s. v. Italicus; IV p. 74 s. v. legio. Grotefend, Pauly, Real-Encyclopädie s. v. legio IV p. 871 (Stuttgart 1846). Stille, Historia legionum auxiliorumque inde ab excessu divi Augusti usque ad Vespasiani tempora in 'Schriften der Universität zu Kiel' 1877 p. 22 sq. Pfitzner, Geschichte der römischen Kaiserlegionen von Augustus bis Hadrian, Leipzig 1881 p. 220 sq. Cagnat in 'Daremberg et Saglio, Dictionaire des antiquités Grecques et Romaines' s. v. Legio III 2 p. 1076 (Paris 1900). — Praeterea de origine legionis disseruerunt: Sievers, Studien zur Geschichte der römischen Kaiser, Berlin 1870 p. 121 adn. 22, p. 136 adn. 2. Schiller, Geschichte des römischen Kaiserreiches unter Nero, Berlin 1872 p. 405 adn. 2, p. 407 sq. Pfitzner l. l. p. 39 sq., p. 117. Mommsen, Römische Geschichte (R. G.), Berlin 1885 V p. 394 adn. 1. Schilling, De legionibus Romanorum I Minervia et XXX Ulpia in 'Leipziger Studien' XV p. 17 sq. (Leipzig 1893). v. Domaszewski, Die Religion des römischen Heeres in 'Westdeutsche Zeitschrift für Geschichte und Kunst' (WDZ) XIV p. 19 sq. Trier 1895.

Quasi fundamento nisi sunt viri docti loco illo Cassii Dionis (LV 24, 2), qui legionem I Italicam a Nerone constitutam esse tradidit his verbis: '*⟨συνέταξεν⟩ ὁ Νέρων τὸ πρῶτον ⟨στρατόπεδον⟩ τὸ καὶ Ἰταλικὸν ὀνομαζόμενον*'. At cum Jünemann[1]) probaverit Dionem de origine legionum Neronis et Galbae temporibus lectarum disserentem cum vera tum falsa protulisse — legionem enim I Adiutricem a Nerone conditam a Galba conscriptam esse Dio contendit — illum locum ita non pro testimonio fide dignissimo habere possumus, ut examinandum sit, utrum Nero an Galba legionem constituerit.

Qua in quaestione cum tituli non exstent, refugiendum est ad gravissimum illius aetatis auctorem: Tacitus in libris iis, qui aetatem tulerunt, legionem I Italicam primum commemorat mense Ianuario anni p. Chr. n. 69[2]). Eo tempore 'Iunius Blaesus, Lugdunensis Galliae rector, cum Italica[3]) legione et ala Tauriana Lugduni tendentibus' Vitellii partibus accessit. Quibus e verbis primum elucet hanc legionem neque a Vitellio, ad quem defecit, lectam esse neque ab Othone, quem tum non iam imperatorem factum esse cognosces ex hac rerum computatione: Kal. Ian. legiones Germaniae superioris proiectis Galbae imaginibus in senatus populique Romani verba iurant[4]); proximo die Fabius Valens Vitellium, legatum Germaniae inferioris, imperatorem consalutavit[5]); a. d. III Non. Ian. exercitus superioris provinciae Vitellio accessit[5]); tum huic adiunguntur octo Batavorum cohortes, legatus provinciae Belgicae, legatus exercitusque provinciae Galliae Lugdunensis (cuius exercitus pars validissima legio I Italica erat), copiae Raeticae[6]) et Britannicae[7]); deinde bellum paratur; exercitus Vitellii duobus itineribus proficiscitur; Fabius Valens cum altera parte copiarum finibus Treverorum et Mediomatricorum peragratis[8]) in civitatem Leucorum pervenit. Tum demum Valenti nuntiatur[9]) Romae Galba a. d. XVIII Kal. Febr.[10]) interfecto Othonem rerum esse potitum. Apparet

---

[1]) Jünemann, De legione Romanorum I Adiutrice in 'Leipziger Studien' XVI p. 1—20 (Lipsiae 1894). [2]) Hist. I 59. [3]) Numerum legionis Tacitus primum addidit hist. II 100, ubi ceteras quoque legiones omnes numeris adiectis laudavit; omittere eum licebat, cum nulla praeterea legio illis annis Italica appellaretur. [4]) Tac. hist. I 55. [5]) Ib. I 57. [6]) Ib. I 59. [7]) Ib. I 60. [8]) Ib. I 63. [9]) Ib. I 64. [10]) Ib. I 27 sqq.

igitur legionem I Italicam prius ad Vitellium descivisse, quam hic nuntius in Galliam delatus est; apparet quoque eam Othonis imperium auspiciumque non abnuisse, abnuisse imperium Galbae, sicut exercitus Germaniarum[1]).

His praemonitis iam facile est diiudicare, legio utrum a Galba an a Nerone constituta sit: Galba ante novem tantum menses[2]) se legatum senatus populique Romani appellaverat, ante septem menses[3]) imperator factus erat. Num putamus legionem eam, quae tam hostiliter in Galbam se gessit, ab eo conscriptam esse? Tam exiguo temporis spatio militum animos ita esse immutatos, ut eum, quem ut auctorem et fautorem venerari debebant, trucidare mallent? Nonne verisimilius est legionem Neroni originem debuisse Galbamque propterea pro suo hoste habuisse, quia ille hostis Neronis erat, ipsa autem Neroni fidem servaverat? Quid? quod alteram quoque causam odii accessisse infra[4]) videbimus, cum probabimus verisimile esse hanc legionem ut Neroni deditam a Galba in hostium numero habitam esse ducemque exercitus, cuius pars legio I Italica fuerat, supplicio esse affectum?

Quae cum ita sint, nihil est, cur Dioni fidem abrogemus; immo statuendum erit[5]) eum vera memoriae prodidisse: *Legionem I Italicam a Nerone conscriptam esse.*

Iam quaerendum est, quonam anno quaque de causa Nero eam constituerit. Atque tres[6]) potuerunt causae esse novae legionis

---

[1]) Tac. hist. I 55. [2]) Mommsen, Hermes XIII p. 95 adn. 2; Sievers, Studien zur Geschichte der römischen Kaiser p. 144 adn. 18. [3]) Nero a. d. V Id. Iun. mortuus est: Sievers l. l. p. 153 adn. 27; Schiller, Nero p. 286 adn. 5. [4]) cf. p. 20 sq.; cf. p. 20 adn. 4, p. 21 adn. 3. [5]) Eam non ante Neronem conditam esse probabile est, quod a Tacito ante annum 69 non commemoratur. Iis vero annis, ubi Taciti libri iam non suppetunt, sola exstitit causa novas legiones conscribendi, cum Claudius Britanniam expugnaret. Quae autem legiones tum conditae sint, pro certo affirmari licet (cf. imprimis Ritterling, de legione Romanorum X Gemina, Lipsiae 1885 p. 81 sqq.). [6]) Trommsdorff, Quaestiones duae ad historiam legionum Romanarum spectantes, Lipsiae 1896 p. 67 contendit 'imperatores Romanos in novis creandis legionibus certam rationem minime esse secutos, sed variis causis commotos, ubi necessarium visum est, legiones condidisse'. Sed excepta legione II Adiutrice, quam ob eximiam in bello civili fidem aquila donatam esse mihi quoque Gündel (De legione II Adiutrice, Lipsiae 1895 p. 13) persuasit, nullam

creandae: primum 'in locum amissae legionis recentem conscribere solebant' imperatores[1]). At inde a clade Quinctili Vari usque ad Neronis mortem nullam legionem aut ab hostibus deletam aut ab imperatore exauctoratam esse inter omnes constat[2]). Deinde legiones legi potuerunt ad bella gravissima atque periculosissima gerenda. At si disquirimus, quaenam bella Neronis aetate exarserint, cognoscimus legionem I Italicam hac de causa ante annum p. Chr. n. 66 non conditam esse. Nam ad pergravia illa bella conficienda, quae et in Britannia per C. Suetonium Paulinum et in Asia per Cn. Domitium Corbulonem gerebantur, veteres legiones suffecisse apertum est: Tacitus enim, cuius opera ea perscripta habemus, quamquam cum omnia, quae ad rem militarem pertinent, diligenter narrat, tum disertis verbis refert recentem aliquam legionem ad bellum missam esse, nusquam memoriae prodit illis annis novam legionem esse conscriptam neque ullo loco Annalium legionem I Italicam commemorat. Quare neminem esse arbitror, qui neget neque ad illa bella gerenda neque omnino ante annum 66, quousque Taciti libris Annalibus uti licet, a Nerone hanc legionem esse constitutam.

---

invenio legionem, quin una de causa ex tribus supra laudatis creari potuerit. Nam legionem II Parthicam quominus constitutam esse putemus, 'ut Italiae praesidio esset', obstare videtur ipsum legionis cognomen: immo verisimilius est eam ipsam quoque ad bellum Parthicum gerendum conditam esse atque postea in Italia esse collocatam. — Trommsdorff autem ideo quam plurimas legionum legendarum causas enumerare studet, ut ostendat fieri potuisse, ut Vespasianus quattuor legionibus (I [Germ.], IV Mac., XV Prim., XVI [Gall.]) exauctoratis duas tantum legiones (IV et XVI Flavias) constitueret; qua autem causa commotus duas tantum creaverit, ne Trommsdorff quidem indicat. Ego vero mihi persuasi Vespasianum fortasse excedere noluisse numerum legionum a principibus Iulia Claudiaque gente ortis conditarum. Ab imperatoribus autem iis, qui Neroni successerant, iam duae legiones creatae erant, cum Vespasianus quattuor illas legiones ignominiosa missione puniret: legio VII a Galba, legio II Adiutrix a Vespasiano ipso. Duabus igitur legionibus constitutis numerus legionum, quae erant sub Nerone, expletus est. Eum autem statum, qui Neronis aetate viguerat, Vespasianus etiam in beneficiis confirmandis restituit (CIL X 8038; Mommsen, Römisches Staatsrecht (St. R.) II^3 p. 1130 adn. 1. Leipzig 1887; Schiller, Geschichte der römischen Kaiserzeit I p. 515 sq. Gotha 1883).

1) Schilling, l. l. p. 19. 2) Marquardt, Römische Staatsverwaltung (St. V.) II^2 p. 448 sq. Leipzig 1884.

Neque ob bellum Iudaicum legio lecta est, quoniam omnes legiones eo arcessitas enumeratas habemus a Flavio Iosepho copiosissimo huius belli scriptore, neque est verisimile hanc legionem, si bello Iudaico interfuisset, ante initium anni 69 imperatorem in Galliam dimissurum fuisse seditione Iudaeorum nondum sedata.

Tertia restat causa: legio creari potuit ad novam provinciam occupandam. At Nero nullam provinciam instituit, quae ut in officio contineretur, exercitu opus erat. Nam incolae et Ponti Polemoniaci et Alpium Cottiarum iam diu pacati nullo exorto tumultu stirpe regia exstincta pro rege indigena imperatoris Romani stipendiario procuratorem Romanum accepisse videntur[1]). At extremis aetatis annis Neronem in animo habuisse vastas regiones a gentibus ferocissimis occupatas bello implicare atque in provinciae formam redigere suspicari licet. Ex scriptorum[2]) enim verbis cognoscitur eum duas[3]) expeditiones paravisse: alteram in Aethiopiam, alteram ad Caspias portas. Ad has regiones cum expugnandas tum in perpetuum occupandas[4]) fieri potuisse, ut nova legio crearetur, quis est qui neget? Et testatur Suetonius in ea parte vitae Neronis, quae fide digna est, ad expeditionem ad Caspias portas suscipiendam novam legionem esse constitutam. Tradit enim in capite 19: 'Parabat ad Caspias portas expeditionem conscripta ex Italicis senum pedum tironibus nova legione, quam Magni Alexandri phalanga appellabat.'

---

1) Schiller, Nero p. 172; Marquardt, St.-V. I^2 p. 360; I^2 p. 281. 2) Tac. hist. I 31; 70. Plin. Nat. hist. VI 29 (35) 181, 184. Dio 63, 8. — Tac. hist. I 6. Suet. Ner. 19. Plin. Nat. hist. VI 13 (15) 40. Dio 63. 8. 3) Ne Pfitzneri (l. l. p. 37 sq.) sententiam sequar contendentis hanc unam eandemque esse expeditionem, commoveor loco illo Pliniano (Nat. hist. VI 29 (35) 181, 184), e quo elucet Neronem regionem eam, quae ab Aegypti finibus in meridiem versus vergebat, explorandam curasse: haec igitur regio copiis in Aegyptum coactis petenda erat neque cum Pfitznero putare licet eas in regnum Parthorum invadere iussas esse; (conferas, quaeso, quae exposuit Mommsen R. G. V p. 393 sq.) 4) Illas regiones Neronem occupare voluisse contendit Schilling l. l. p. 18, negare videtur Trommsdorff l. l. p. 66. Equidem facere malo cum Schillingio convictus argumento ab eo prolato: nam cum novam legionem phalanga Alexandri Magni appellaret, quid eum dicere voluisse putatis, nisi illam legionem robur fore exercitus eius, quo ipse totam Asiam subacturus regnumque Alexandri restiturus esset?

Iam apparere puto verisimillimum esse: novam hanc legionem esse legionem I Italicam. Elucet enim ex iis, quae exposui, legionem I Italicam, quam a Nerone creatam esse constat, nulla alia de causa, quantum nos quidem scimus, constitutam esse posse, nisi ob duas illas expeditiones parandas. Accedit, quod nulla legio nobis innotuit, quae Neroni originem debuerit exceptis legionibus I Italica et I Adiutrice, quarum hanc anno p. Chr. n. 68 Galbae opprimendi causa constitutam esse Jünemann probavit[1]). Tertium argumentum ex ipsis Suetonii verbis elici posse confido. Utitur Suetonius verbis his: 'conscripta ex Italicis senum pedum tironibus nova legione'. Liceat quaerere, curnam adiciat insigni loco vocem 'Italicis'. Cur non scripsit tantum 'e tironibus senum pedum'? — Non sine aliqua causa illud verbum inseruisse videtur, praesertim cum eius ipsius temporibus iam abolitus esset pristinus ille usus legionarios ex Italia legendi[2]). Voluit, opinor, Suetonius dicere sibi esse persuasum in illa legione Nerone imperante Italos tantum stipendia meruisse aut saltem tot Italos, ut ceteros omnes numero superarent. Quod aut verum aut fictum esse potest. Quodsi est fictum, nescio an nulla alia de causa fingi potuerit, nisi ut nomen legionis I Italicae explicaretur. Appareret igitur Suetonium de hac legione verba fecisse. Sin autem verum Tranquillus memoriae prodidit, nihilo minus nos contendere posse puto legionem illam Neronianam esse legionem I Italicam.

Sed ut haec quaestio ad certum quendam finem perducatur, necesse erit enucleare, quid sibi velit cognomen legionis I Italicae. Cognomina[3]) illa a nominibus gentium vel terrarum petita traxerunt

---

[1]) Jünemann l. l. p. 3—18. [2]) Mommsen, Die Conscriptionsordnung der römischen Kaiserzeit. Hermes XIX (1884) p. 1—22; Baehr, De centurionibus legionariis. Diss. Berolini 1900 p. 45. [3]) De cognominibus legionum egerunt praeter viros doctos, qui de singulis legionibus scripserunt: Bähr, in 'Pauly, Realencyclopädie' IV p. 868. Pfitzner, l. l. p. 3—10. Marquardt, St. V. II² p. 452sq. Cagnat, apud Daremberg et Sagliot, l. l. p. 1073. Domaszewski, Jahreshefte österr. arch. Instituts II Bleiblatt p. 81sqq. Mommsen, CIL X 5713, V 397; Orelli 3368/9. Quorum nemo de nomine legionis I Italicae verba fecit. — Ex eo, quod legionibus II et III Italicae idem cognomen erat, fructum capere non possumus, cum adhuc non constet, quam ob rem illud cognomen acceperint. Mihi persuaderem eas Italicas esse appellatas, quod iis Italia a Marcomanis tuenda esset, nisi eo tempore alia cognomina habuissent.

legiones aut ab hostibus debellandis aut a terra defendenda aut a regione, ubi castra habebant, aut a regione, e cuius incolis milites deligebantur. Quarum cognomina indendi causarum prima prorsus abhorret ab hac legione. Neque secunda stare potest: a Vindice enim Galli sollicitabantur neque Italis bellum inferebatur, a Galba autem Nero tantum petebatur, Nero igitur defendendus erat, Italia non erat defendenda. Accedit, quod ne probabile quidem est legionem ad Galbam opprimendum lectam esse. Eam enim iam a Nerone in Galliam missam esse infra[1]) ostendam; legio autem I Adiutrix, quam, ut sibi praesidio esset, Nero creaverat[2]), Roma omnino non discessisse videtur, quamquam, cum e classiariis legeretur, multo celerius constitui potuit quam si delectu opus fuisset. Ac ne tertia quidem de causa hoc cognomen legioni inditum esse mihi videtur verisimile esse. Nam paucos tantum menses[3]) eam in Italia versatam esse putandum est neque ullas ibi res gessit, quibus gestis eam illud cognomen ut honorificum accepisse suspicari liceret. Praeterea alteram quoque legionem extremis Neronis diebus in Italia fuisse iam dixi: legionem I Adiutricem[4]). Quae legio eodem iure a Tacito ⟨legio Italica⟩ appellari potuit, praesertim cum Galbae et Othonis temporibus, de quibus in primis Historiarum libris agitur, sola in Italia remansisset[5]). Compares autem hae duae legiones, quarum utraque a Nerone creata aliquamdiu in Italia morabatur, hoc uno inter se differebant, quod legio I Adiutrix e classiariis erat conscripta[6]), legio I Italica, ut ita dicam, more maiorum constituta esse videtur.

Quae cum ita sint, mea quidem sententia verisimillimum est legioni I Italicae cognomen inditum esse, quod ex Italis conscripta erat. Neque in eo est haerendum, quod idem cognomen ceteris quoque legionibus antea creatis dari potuisse videtur. Nam Mommseni et Baehri dissertationibus[7]) factum est, ut sciamus iam a primis

---

[1]) cf. p. 19sqq. atque gravissimum illud, quod p. 18 adn. 4 admonui. [2]) Jünemann, l. l. p. 15sq. [3]) Inde a mense Septembri anni 66 vel potius anni 67 usque ad ver anni 68; velim conferas, quae infra (p. 18—23 imprimis p. 18, 21 adn. 2, 23; p. 33, 36.) disseram. [4]) Tac. hist. I 6. Jünemann l. l. p. 7—18. [5]) Jünemann l. l. p. 7—10; p. 31—34. [6]) Ib. cap. I. [7]) Quas laudatas invenies p. 12 adn. 2. Baehr (l. l. p. 19—28) refutavit sententiam quam protulit: Seeck, Die Zusammensetzung der Kaiserlegionen. Rhein. Mus. 48 (1893) p. 602sqq.

principibus legionarios non ex Italia sola lectos esse. Quare concludendum est legionem Italicam eam legionem appellatam esse, in qua plures Itali stipendia facerent quam in ulla alia legione.

Quod si statuimus, nonne verisimillimum est legionem I Italicam esse eam legionem, quam ex Italicis tironibus conscriptam esse Suetonius disertis verbis narrat? Hoc igitur argumentum e cognomine petitum accedit ad illa argumenta, quae supra[1]) attuli: ex quo efficitur, ut pro certo affirmare possimus novam illam legionem a Suetonio laudatam esse legionem I Italicam; sequitur, ut *legio I Italica a Nerone conscripta sit ad expeditionem ad Caspias portas suscipiendam.*

Restat, ut quaeramus, quo anno Nero illam expeditionem paraverit quoque anno hanc legionem constituerit. Hac de re dissensio exstitit inter viros doctos: Pfitzner[2]) sibi persuasit legionem I Italicam esse creatam aestate anni 66, antequam Nero in Graeciam proficisceretur; contra Domaszewski[3]) contendit eam anno 67 lectam esse; illud bellum anno 66 nondum parari coeptum esse. Equidem autem censeo neutram sententiam satis firmo talo stare. Pfitzner enim, qui ipse causam non attulit, vereor ne nulla alia re nitatur nisi his verbis Dionis[4]): *Νέρων δὲ ἐπὶ ἐκεῖνον* (scil. *τὸν Οὐολόγαισον) οὐκ ἔπλευσε, καίπερ ὀργὴν αὐτῷ ἔχων, οὐ μὴν οὐδὲ ἐπὶ τοὺς Αἰθίοπας ἢ τὰς πύλας τὰς Κασπίας, ὥσπερ ἐνενόει· τά τε γὰρ ἄλλα καὶ κατασκόπους ἑκατέρωσε ἔπεμψεν, ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ χρόνου καὶ πόνου ὁρῶν δεόμενα ἤλπιζεν αὐτόματά οἱ προσχωρήσειν, ἐς δὲ δὴ τὴν Ἑλλάδα ἐπεραιώθη, οὔτι γε ὡς Φλαμινῖνος οὐδ᾽ ὡς Μόμμιος ἢ καὶ Ἀγρίππας καὶ Αὔγουστος, οἱ πρόγονοι αὐτοῦ, ἀλλ᾽ ἐπί τε ἡνιοχήσει καὶ κιθαρῳδήσει, κηρύξει τε καὶ τραγῳδίας ὑποκρίσει.* Sed huic loco in rebus singulis annis assignandis non tantum tribuendum esse existimo, quia auctor omnia ea in unum locum contulit, quibus argumentis ipse demonstrasse sibi visus est Neronem noluisse in seriis rebus bellisque gerendis operam navare, sed totum se dedisse ludis circensibus atque scaenicis. Accedit, quod si Dionem usque eo sequeremur, nobis putandum esset

---

[1]) p. 12. [2]) l. l. p. 30 sq.; p. 220. [3]) Rhein. Mus. 47 (1892) p. 207—218; 'Religion', WDZ XIV p. 19 sq. [4]) Dio 63, 8 = Xiphilin. 175, 31 sqq. R. St.

Neronem illa expeditione iam destitisse (*ἤλπιζεν αὐτόματά οἱ προσχωρήσειν*) cum in Graeciam proficisceretur, id quod refutatur a Tacito[1]), quippe qui memoriae prodat anno 68 copias huius expeditionis causa mare transituras fuisse.

Domaszewski autem hanc argumentandi rationem iniit[2]): habemus orationem Agrippae, regis Iudaeorum apud Iosephum[3]) exstantem. Qui rex anno 66 Iudaeos a bello contra Romanos gerendo deterrere conatur, cum iis ostendit, quantulis copiis totus orbis terrarum in officio contineatur. Qua in oratione cum quattuor legiones in Britannia tendentes commemorentur[4]), ubi legione XIV Gemina ad expeditionem ad Caspias portas parandam deducta[5]) tres tantum legiones versabantur[6]), Domaszewski sibi persuasit Iosephum vel auctorem eius hac in oratione eum statum rei militaris respexisse, qui illi expeditioni antecedebat. Atqui constat legionem I Italicam ad illam expeditionem suscipiendam creatam esse. Propterea colligit ille vir doctus hanc legionem anno 66, quo anno Iosephus illam orationem haberi facit, non iam conditam esse[7]); id quod mea quidem sententia inde concludere non licet.

Sed hac de re uberius disserere nescio an ex usu sit; nam difficillima est quaestio anquirentibus, quid illi Iosephi loco tribuendum sit, neque, quamquam dissensio exstitit inter Ritterlingium[8]) et Domaszewskium[9]), iam ad certum finem perducta. Cum enim Ritterling demonstrare conatus sit tabulam illam publicam, ex qua Iosephum omnia, quae de provinciarum magnitudine et administratione, de hominum multitudine, de tributis et vectigalibus, de legionibus classibusque exposuit, desumpsisse inter viros doctos constat[10]), Vespasiani aetatis fuisse neque quicquam exhibuisse, quod ad annum 66 referendum sit, Domaszewski contendit in illa tabula revera, qui

---

[1]) Tac. hist. I 6. [2]) In Mus. Rhen. l. l. p. 214. [3]) Ioseph. bell. Iud. II 16, 4, 345—401 Niese. [4]) Ios. l. l. § 378 Niese. [5]) Tac. hist. II 11. cf. appendicem I. [6]) cf. Hübner, Das römische Heer in Britannien. Hermes XVI (1881) p. 513 sqq. [7]) WDZ 14 p. 20. [8]) Ritterling, De legione Romanorum X Gemina, diss. Lipsiae 1885 (= diss.) p. 32 sqq. [9]) Mus. Rhen. l. l. [10]) Friedländer, De fonte, quo Iosephus b. I. II 16, 4 usus sit. Index lection. Regimont. aestat. 1873. Idem, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms (S.-G.) I[6], Leipzig 1888, p. 63 sq.

status imperii Romani anno 66 esset, descriptum fuisse. Atque cum cetera, quae Ritterling protulit[1]), levioris sint momenti, Domaszewski ostendit legiones Romanorum anno 66 ita esse per provincias distributas, ut apud Iosephum legimus. Qua argumentatione apparet fieri potuisse, ut Iosephus tabella aliqua uteretur, in qua ipsius anni 66 ratio haberetur; non autem demonstratum est fieri non potuisse, ut Iosephus quae exposuit e tabella posterioris aetatis depromeret. Nam quod ille auctor Dalmatiam ab una legione occupatam esse tradit[2]), iam non impedimento est, quominus breviarium illud temporibus Vespasiani scriptum esse putemus, cum verisimile sit legione XI Claudia e Dalmatia deducta ibi legionem IV Flaviam a Vespasiano creatam castra posuisse[3]); in Britannia[4]) autem etiam aetate Flaviorum quattuor legiones (II Adi. II Aug. IX Hisp. XX Val. Vict.) tetendisse iam Ritterling[5]) admonuit. Videntur igitur verba Iosephi et ad extremos annos Neronis et ad aetatem Vespasiani quadrare. Quae cum ita sint, mihi quoque liceat coniecturam proferre: Apud Iosephum in Hispania una[6]) legio, in Germaniis octo legiones[7]) commemorantur. Quare, quoniam Jünemann[8]) probavit legionem I Adiutricem ab anno 69 usque ad annum 88 in Hispania stativa habuisse, si tabellam illam aetati Vespasiani attribueremus, necesse esset nos eam scriptam esse putare, antequam legio VII Gemina in Hispaniam translata est, id quod legione XV Apollinari in Pannoniam reversa i. e. anno 71 exeunte vel anno 72[9]) factum esse Jünemann[10]) coniecit. Deinde cum in Germaniis legione VII Claudia deducta[11])

---

[1]) Ritterling l. l. p. 34 negat anno 66 illud breviarium compositum esse, cum illo anno 'reditus imperii vectigaliaque perturbata essent, omnesque fere exercitus expeditionibus nuper ad finem perductis et aliis iisque maioribus a principe praeparatis iactarentur et commoverentur'. At illa aetate seditione Britannica sedata, bello Parthico confecto, bello Iudaico nondum exorto, expeditionibus contra Albanos Aegyptosque nondum susceptis (cf. infra p. 23 adn. 2) aliquamdiu pace fruebantur Romani templumque Iani tum a Nerone clausum videtur esse (cf. Sievers, Studien l. l. p. 119 adn. 14). [2]) Ios. l. l. § 370 Niese. [3]) cf. infra p. 52 sq. [4]) Ios. l. l. § 378 Niese. [5]) l. l. p. 34 adn. 1. [6]) Ios. l. l. § 375 Niese. [7]) Ib. § 377 Niese. [8]) l. l. p. 34 sqq; p. 134. [9]) cf. infra p. 43 adn. 3 atque praeterea, quae de legione V Macedonica disserui p. 41 sqq. imprimis p. 45 sq. [10]) l. l. p. 41 adn. 1. [11]) cf. infra p. 48 adn. 2.

septem[1]) tantum legiones remanerent (quoniam legionem I Adiutricem Vespasiano imperante non in Germania fuisse Jünemann ostendit), tabulam illam compositam esse putandum esset legione VII Claudia in Germania tendente i. e., si Ritterlingium[2]) sequimur, ante auctumnum anni 70. At tumultuosis illis annis vereor ne eiusmodi laterculus non conceptus sit. Accedit, quod in Moesia, cuius solius provinciae incolas sub voce *Ἰλλύριοι*[3]) audiendos esse Domaszewski[4]) optime coniecit — illis enim temporibus voce Illyrici et Dalmatiam et Pannoniam et Moesiam significatam esse Tacitus[5]) testatur — aetate Vespasiani plus duas legiones versatas esse probari potest[6]). Quibus de causis mihi quoque verisimile esse videtur illam tabellam non ad Vespasiani aetatem esse referendam.

At licet demonstratum sit illo loco Iosephum laterculo Neronis aetate scripto usum esse: quanam re cogimur putare in eo ipsius anni 66 rationem habitam esse? In oratione ipsa ut nihil invenitur, quod ad aetatem Flaviorum spectet[7]), ita nihil inest, quod ad aetatem anno 63 vel 64 posteriorem pertineat. Nam expeditionem in regnum Bosporanum susceptam[8]) iam anno 63 confectam esse Domaszewski ipse ostendit[9]). Pax autem cum Parthis[10]) iam anno 63 facta est eodemque anno a Parthis obsides[11]) Romanis dati sunt[12]). Quare vereor, ne ex hoc loco effici non possit legionem I Italicam anno 66 nondum esse constitutam.

---

[1]) Vespasiani aetate erant in Germania inferiore: legiones VI Victrix, XXI Rapax, II Adiutrix (ad an. 71) vel XXII Primigenia (inde ab an. 71), XIV Gemina (ad ver vel aestatem an. 70), X Gemina (quae cum iam ab initio anni 70 in itinere esset, post pugnam ad Vetera commissam legioni XIV Geminae successit); in Germania superiore: legiones VIII Augusta, XI Claudia, VII Claudia (ad ver aut aestatem anni 70) vel XIV Gemina (ab aestate anni 70). [2]) Ritterling, Zur römischen Legionsgeschichte am Rhein, WDZ XII (1893) p. 112 sq. cf. infra p. 47 sq., 57. [3]) Ios. l. l. § 369 Niese. [4]) l. l. p. 213. [5]) Tac. hist. I 76; II 86. [6]) cf. infra p. 55 sq. [7]) Incursiones Dacorum legionibus Moesiacis repellendas ad annum 70 cum Ritterlingio (diss. p. 34 adn. 2) referre non necesse est, cum ex inscriptione CIL XIV 3608 eluceat Neronis quoque temporibus cum Dacis bellatum esse. [8]) Ios. l. l. § 366 sq. Niese. [9]) l. l. p. 208 sqq. [10]) Ios. l. l. § 389 Niese. [11]) Ib. § 379 Niese. [12]) Tac. ann. XV 30. Dio 62, 23, 4.

Quae cum ita sint, quaestionem, quae est de anno natali, ut ita dicam, legionis I Italicae denuo instituere non supervacaneum videtur esse.

Atque quod e monumentis enucleari potest, a Domaszewskio [1]) praereptum est: Exstat ara quaedam [2]) 'Dis militaribus, Genio, Virtuti, Aquilae sanctae legionis I Italicae dedicata a. d. XII Kal. Oct'. Qui dies cum a populo Romano non in dierum festorum numero haberetur, cumque haec ara aquilae legionis dedicata ab eo centurione condita esset, cui aquila tuenda commendabatur, Domaszewski summo cum acumine coniecit illum diem esse diem natalem aquilae legionis I Italicae. Verisimillimum igitur est legionem I Italicam a. d. XII Kal. Oct. conscriptam esse.

Inde statim efficitur, ut legio anno 68 non creata sit, quoniam Nero, a quo eam lectam esse certum est, iam a. d. V Id. Iun. 68 [3]) mortem sibi conscivit. Quare statuendum est hanc legionem post a. d. XII Kal. Oct. anni 67 non esse constitutam [4]). Neque esse verisimile eam ante annum 66 lectam esse iam admonui [5]), quia Tacitus, quamquam omnes res usque ad initium anni 66 gestas diligenter perscripsit, neque de legione I Italica neque omnino de expeditione ad Caspias portas paranda verba facit [6]). Ergo legio I Italica aut a. d. XII Kal. Oct. anni 66 aut a. d. XII Kal. Oct. anni 67 constituta est.

---

[1]) WDZ 14 p. 19sq. [2]) III 7591 = n. 40 (i. e. in titulis legionis infra collatis; solis autem numeris corporis Inscriptionum Latinarum volumina laudabo). [3]) Schiller, Nero p. 286 adn. 5; Clinton, Fasti Romani, Oxford 1845—1850 I p. 52. [4]) Apparet etiam legionem non conditam esse posse ad debellandum aut Vindicem aut Galbam aut Verginium Rufum, qui omnes anno 68 demum defecerunt. Hac re confirmatur id, quod supra (p. 12—14) demonstrasse mihi videor legionem I Italicam ad expeditionem ad Caspias portas parandam creatam esse. [5]) p. 9 adn. 5; p. 10. [6]) Ea quae Tacitus ann. XV 36 narrat non cum Pfitznero (l. l. p. 38) ad hanc expeditionem referenda esse facile cognoscitur cum e conexu sententiarum (itinere, quod in Achaiam facere sibi proposuerat, 'in praesens omisso urbem revisit provincias Orientis maxime Aegyptum secretis imaginationibus agitans') tum ex ipsis Taciti verbis (testificatus non longam sui absentiam fore . . . super ea profectione adiit . . . cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans), quibus uti non liceret, si ageretur de tantis illis expeditionibus fines imperii Romani propagandi causa suscipiendis.

Inquirentibus nobis, utrum huic an illi anno maiore cum probabilitate natalicia legionis attribui possint, indagandum est, quid de rebus a legione I Italica ante annum 69 gestis conicere liceat.

Mense Ianuario anni 69 cum ala Tauriana Lugduni tendebat [1]). Qua de causa eo missa est? A quo imperatore? A Galba, ut Domaszewski [2]) putare videtur, an a Nerone, ut Pfitzner censet [3])? Atque apparet Galbae nihil fuisse, cur eam in Galliam mitteret: neque enim fieri potuit, ut ad Gallos eos, qui Vindice duce contra Neronem coniuraverant, puniendos hanc legionem eo transferret, cum ipse illi factioni Gallorum faveret [4]), neque ad Gallos eos, qui in fide Neronis manserant, coërcendos, cum ei timendum esset, ne haec legio a Nerone nuperrime conscripta huic ut patrono fidelem se praestaret neve contra se ipsum, ut Neronis hostem, cum illa parte Gallorum consilia communicaret [5]). Accedit, quod hanc factionem Gallorum si militibus opprimere voluisset, ei legio VII Galbiana, ab eo ipso lecta [6]) Vitellianisque anno 69 infesta [7]), suppeditavisset, quam legionem nescio qua de causa in Pannoniam dimisit. Praeterea autem periculum erat, ne legione aliqua in Galliam translata augeretur vis exercitus Germaniarum, quem serius et cunctantius sacramento pro se adactum esse [8]) Galba non ignorabat, quique ei infensus erat cum ob occisum Fonteium Capitonem [9]) abductumque Verginium Rufum [10]), tum ob praemia Gallis victis ultro oblata, legionibus victricibus denegata [11]). Denique Galba in re militari — si legionis VII quam ipse creaverat rationem non habemus — nihil mutasse videtur, sed copias ibi manere passus esse, ubi consederant, cum Nero mortem sibi conscisceret: Legio enim I Adiutrix ceterique classiarii et vexillationes exercitus Germanici, Britannici, Illyrici Romae erant cum Galba urbem introeunte tum Galba mortuo [12]);

---

[1]) Tac. hist. I 59. [2]) Mus. Rhen. l. l. p. 217. [3]) l. l. p. 42 (p. 220). [4]) Tac. hist. I 51: '⟨Galli⟩ remissam sibi a Galba quartam tributorum partem et publice donatos in ignominiam exercitus iactabant.' Plut. Galba 22. Tac. hist. I 54. [5]) Hostibus Galbae eam statim initio anni 69 se adiunxisse supra (p. 8 sq.) ostendi. [6]) Tac. hist. II 11. [7]) Ib. II 11; 67; 86. Jünemann l. l. p. 9. [8]) Tac. hist. I 8; 53; praeterea conferas Tac. hist. I 52. Dio 63, 25. [9]) Tac. hist. I 8; 58. cf. Ib. I 7. Schiller, Kaisergesch. I p. 367 adn. 5. [10]) Tac. hist. I 8. [11]) Tac. hist. I 51; 54. Plut. Galba 18; 22. Suet. Galba 16. [12]) Tac. hist. I 6; I 31. Jünemann, l. l. p. 31sq.

ala Siliana, quae a Nerone ex Africa in Aegyptum praemissa ob bellum Vindicis revocata erat, in Italia manebat ibique versabatur, cum Vitelliani Galba iam mortuo Alpes superabant[1]).

Quibus de causis cum statuendum sit Galba imperatore legionem I Italicam in Galliam non esse abductam, concludendum est eam a Nerone eo translatam esse. Accedit, quod Nerone imperante seditio illa Gallorum Vindice duce exarsit. Cum Gallis autem Galba conspirasse videtur et ipsum Verginium Rufum contra Neronem coniurasse fama erat[2]): contra hos Neronem bellum parare necesse erat. Atque legimus apud Xiphilinum[3]) et apud Zonaram[4]) Neronem, cum ipse Romae bellum moliretur, copias Petronio Turpiliano Rubrioque Gallo ducibus contra rebelles praemisisse[5]). Huius exercitus partem validissimam legionem I Italicam fuisse mihi persuasi, quod haec tantum legio, quam Nerone imperante in Galliam venisse probavimus, alaque Tauriana initio anni proximi in Gallia 'insolita hiberna' habebant[6]) neque legionem I Adiutricem ceterosque classiarios, cum Galba urbem introeunte Romae versarentur[7]), illi

---

[1]) Tac. hist. I 59. Legiones autem Illyricae utrum omnino provinciarum suarum finibus excesserint necne, propter Taciti verba infra (p. 22.) laudanda cum Classeno dubitare licet. [2]) Dio 63, 24. Vindice victo a Nerone defecisse videtur (Dio 63, 27, 1) atque aliquamdiu animi pependisse, utrum imperium a militibus oblatum acciperet necne (Tac. hist. I 8; 52. Dio 63, 25, 2. Plut. Galb. 10). [3]) Xiphil. 184, 20—23 R. St. = Dio 63, 27, 1: *ἐπεὶ δὲ περί τε τοῦ Γάλβα ἤκουσεν ὅτι αὐτοκράτωρ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἀνεῤῥήθη, περί τε τοῦ Ῥούφου ὅτι αὐτοῦ ἀπέστη, ἐν δέει τε μεγάλῳ ἐγένετο καὶ αὐτός τε ἐν Ῥώμῃ παρεσκευάζετο καὶ ἐπ᾽ ἐκείνους Ῥούβριον Γάλλον καὶ ἄλλους τινὰς ἔπεμψεν.* [4]) Zon. 11, 13 P I 570 D = Dio 63, 27, 1a Boissevain: *ὁ δὲ Νέρων μαθὼν καὶ τὸν Πετρώνιον, ὃν κατὰ τῶν ἐπαναστάντων μετὰ τοῦ πλείονος προπεπόμφει στρατεύματος, τὰ τοῦ Γάλβα φρονήσαντα κτλ.* Sed cave his verbis commotus censeas legionem I Italicam statim se ad rebellantium partes adiunxisse: rumorem enim illum falsum fuisse ex eo intellegitur, quod Turpilianus, cum dux Neronis fuisset, a Galba interfectus est (Tac. hist. I 6. Schiller, Kaisergesch. p. 368). [5]) Has copias in Galliam missas esse consentaneum est, quia Galbae quoque, si cum exercitu Italiam petere voluit, per Galliam iter faciendum erat. [6]) Contra cohortem XVIII urbanam Lugduni 'solitis sibi hibernis' tetendisse Tac. hist. I 64 refert; conferas quaeso Ios. bell. Iud. II 16, 4 § 373 Niese. [7]) Tac. hist. I 6, Plut. Galb. 15. Suet. Galb. 12. Jünemann l. l. p. 8 sqq. p. 12 sq. imprimis autem velim inspicias p. 11 adn. 1, ubi Grotefendi sententia refutatur.

expeditioni interfuisse verisimile est, ceterae autem legiones castra habebant in provinciis, quae longius distabant, quam ut legiones inde excitae in Galliam praemitti (*προπεπόμφει*) possent[1]). Quare statuendum est legionem I Italicam vere anni 68[2]) in Galliam missam esse[3]).

Quid autem inde lucramur? Primum apparet legionem I Italicam mense Martio vel Aprili[4]) anni 68 non solum iam exstitisse, sed etiam tirones eius legionis aliquamdiu armis eruditos esse; qua de causa non est verisimile eam anno 68 demum lectam esse, id quod alia adhibita ratione iam supra[5]) collegimus.

Tum in aprico est legionem I Italicam mense Martio vel Aprili anni 68 Neroni praesto fuisse, cum vexillationes exercitus Germanici, Britannici, Illyrici, quas ipsas quoque Nero ad expeditionem illam ad Caspias portas suscipiendam elegerat[6]), eo tempore iam in itinere essent: Illae enim vexillationes, quas in Asiam praemissas a Nerone Vindicis opprimendi causa revocatas esse Tacitus refert[6]), postquam Romam reverterunt, iam non in Galliam missae sunt, sed Romae remanserunt, ubi Galba introeunte versabantur[6]). Hinc efficitur, ut legio I Italica, quae ad eandem expeditionem parandam creata erat, illis mensibus non iam in naves imposita sit. Quare constat hanc legionem navibus in Orientem vecturam omnino non ex Italia discessisse. Ac ne terrestri quidem itinere

---

[1]) Praeterea conferas, quae admonui p. 22 in. [2]) Ante a. d. V Id. Iun., quo die Nero mortuus est, et post a. d. XIV(—X) Kal. April., quo die Nero de Vindicis seditione certior factus est (Suet. Nero 40; Mommsen, Hermes 13 p. 93 adn. 2) vel potius post a. d. XVII Kal. Maias, quo die Neroni nuntiatum esse puto Galbam a. d. VIII Id. April. (Mommsen, Hermes l. l. p. 95) se legatum senatus populique Romani appellasse (novem enim diebus nuntios ex Hispania Romam venire solitos esse e Plut. Galb. 7 discimus). [3]) Sentio igitur Neronem legionem I Italicam alamque ei adiunctam praemisisse, ipsum autem cum praetorianis, legione I Adiutrice ceterisque classiariis in legionis numeros compositis eisque copiis, quas aut ad Caspias portas vel in Aegyptum proficisci iusserat aut ex Illyrico exciturus erat, subsequi in animo habuisse. — Quod si statuimus, nescio an quis coniciat Petronium Turpilianum vel potius, quoniam Turpilianus a Plutarcho (Galb. 15) senex appellatur, Rubrium Gallum legatum legionis I Italicae fuisse; sed hac in re certi quidquam enucleari posse nego. [4]) cf. adn. 2. [5]) p. 18. [6]) Tac. hist. I 6.

profecturam putare licet tum iam longe ab Italia afuisse; nam haec legio in Galliam pervenit, cum legiones Illyricae, quae a Nerone ut proxime distantes contra rebelles excitae erant[1]), si codicem Mediceum sequimur, in Italia ‘cunctarentur’ aut, si e Taciti verbis[1]) ‘sed longis spatiis discreti exercitus . . . nec vitiis nec viribus miscebantur’ collatis cum iis verbis, quae de exercitibus Germanicis facit[2]), aliquid efficere licet, iam non in unum exercitum contraherentur[3]).

Haec sententia ut alio quoque argumento fulciatur, quaeramus Nero cur non legionem XIV Geminam Martiam Victricem, quam ipse ut validissimam fortissimamque plurimi aestimabat[4]), contra rebellantes praemiserit. Quae legio tum e Britannia profecta erat, ut expeditioni ad Caspias portas suscipiendae interesset[5]). Hoc in itinere ei aut Gallia aut Germania peragranda erat, unde sine ulla mora in omnium, qui rebellabant, fines pervenire poterat. Curnam eam Nero non accivit? Ad hoc respondere facillimum esse puto: tum, cum illi rumores Romam allati sunt, legio XIV Gemina iam non in Gallia finitimisque provinciis erat. Itaque, cum fieri non potuerit, ut seditione illa iam exorta ad expeditionem ad Caspias portas suscipiendam evocaretur, quoniam Nero copias eo praemissas redire iussit[6]), sentio cum Mommseno[7]) legionem XIV Geminam vere anni 68 iam in provincias Danuvianas pervenisse, ubi initio anni sequentis hiemabat.

Inde efficiuntur haec: primum, cum verisimile sit neque legionem XIV Geminam neque ceteras legiones in Illyrico tendentes, quamquam a Nerone excitae esse videntur, in Galliam pervenisse, cum probabilitate quadam contendi posse confido legionem I Italicam

[1]) Tac. hist. I 9. [2]) Tac. hist. I 51: ‘sed ante bellum centurias tantum suas turmasque noverant; exercitus finibus provinciarum discernebantur: tum adversus Vindicem contractae legiones, seque et Gallias expertae, quaerere rursum arma novasque discordias.’ [3]) Qua de causa placet coniectura Classeni (Symbolae criticae I p. 22 sq. = Programm des Gymnasiums zu Frankfurt a. Main 1859), qui scripsit ‘cunctatur’, cum illas legiones omnino non in Italiam venisse arbitraretur. [4]) Tac. hist. II 11: ‘praecipui fama quartadecumani . . . Addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos, unde longa illis erga Neronem fides et erecta in Othonem studia.’ [5]) Uberius de hac legione dicam in appendice I. [6]) Tac. hist. I 6 (I 70). [7]) R. G. V p. 394 adn. 1.

aut omnino non ex Italia discessisse aut certe non tantum ab Italiae finibus afuisse, quantum cum legiones Illyricas tum legionem XIV Geminam.

Deinde sequitur, ut legio I Italica omnium earum copiarum, quae a Nerone ad Caspias portas mittebantur, aut postrema aut omnino non profecta sit. Atque causa cunctandi in propatulo est: postrema ad bellum parata atque instructa erat.

Itaque, cum illa expeditio sub finem anni 67 vel initio anni 68 suscipi coepta sit — vexillationes enim exercitus Britannici, Germanici, Illyrici, quas Nero vere anni 68 Vindicis opprimendi causa revocaverat, praemissae erant[1]); priores igitur eo profectae erant — nescio an verisimilius sit legionem I Italicam a. d. XII Kal. Oct. anni 67 constitutam esse quam eodem die anni 66[2]).

Ut igitur complectar, quae de legionis origine disserui:

Legio I Italica a Nerone ex Italicis tironibus conscripta est, cum expeditionem ad Caspias portas suscipiendam pararet; constituta est ante annum 68, post annum 65, probabilius a. d. XII Kal. Oct. anni 67 quam anni 66.

2. De nominibus atque insignibus legionis.

Proprium et quasi nativum cognomen, quo a comparibus legionibus distingueretur, ⟨Italicae⟩ huic legioni inditum esse, quod a Nerone ex Italis conscripta erat, iam supra[3]) exposui. Quo cognomine nescio an Nero indicare voluerit huius legionis milites, ut ita dicam, more maiorum electos esse e civibus Romanis, quorum abavi atavique iam civitate ornati erant, quorum maiores orbem terrarum suae dicionis fecerant. Quare nullus ego dubito, quin fieri potuerit, ut Nero sive iocans sive glorians diceret illam esse suam ⟨phalangem⟩, qua ipse Asiam subacturus esset, ut Alexander Magnus Macedonum potissimum phalange confisus. Vocem autem ⟨phalangis Alexandri Magni⟩ legionem pro altero cognomine habuisse neminem puto e Suetonii[4]) verbis conclusurum esse.

[1]) Tac. hist. I 6. [2]) Quae cum ita sint, mihi persuasi Neronem anno 67 demum illam expeditionem parare coepisse. [3]) p. 12 sqq. [4]) Suet. Nero 19.

⟨Pia fidelis⟩ legio, quoad vigebat plena illius cognominis vis, nunquam appellata est. Tertio demum saeculo hoc cognomine decorata est atque id compluries: Legimus enim in nummis a Gallieno cusis et LEG · I · ITAL · VI · P · VI · F ·[1]) et LEG · I · ITAL · VII · P · VII · F ·[2]). Quo tempore autem quaque de causa hoc cognomen legioni inditum sit, erui non potest, quoniam ea aetate ita divulgatum erat, ut omnibus fere legionibus iterum ac saepius imponeretur[3]).

Cognomina imperatoria, quae inde a tertio saeculo legiones in honorem imperatorum assumere solebant, in titulis legionis I Italicae non occurrunt nisi haec: Antoniniana, quo cognomine Caracallae aetate legio praedita erat[4]), et Severiana, quae vox ad Alexandri Severi tempora spectat[5]).

Restat, ut commemorem legionem I Italicam etiam Moesiacam esse nominatam. Huius cognominis unum adhuc certum testimonium exstat titulus V 914 (n. 90) Aquileiae repertus, qui sequioris aevi speciem prae se fert[6]): in schedis enim, quibus solis notitiam huius inscriptionis debemus, legitur: LEG · PRI IT · MOES, quae verba cur Mommsen in PRI · ITALICES mutaverit, equidem non video. Contra in titulo III 14433 = Tocilesco, Rech. arch.[7]) p. 202 n. 25 (n. 63) num idem cognomen lateat, adhuc mihi quidem non plane certum esse videtur. Nam ne item ac Tocilesco legamus vexil(lationes) leg(ionis) I Ital(icae) [M(oesiacae)] et V Ma(ce)d(onicae), impedimento sunt haec: In eodem titulo cum praeter legionem I Italicam legionis quoque V Macedonicae item in Moesia inferiore tendentis mentio fiat, in sollemni utriusque legionis dedicatione si illa cognomine Moesiacae ornata erat, haec mea quidem sententia eodem

---

1) ter cf. in nummis legionis sub numero 3. 2) quater cf. n. 4, 5. 3) His de cognominibus sententias protulerunt: Eckhel, Doct. num. VII p. 404 sq.; Mommsen, VIII 2852 add. Hettner, WDZ II p. 432 (praeterea cf. Schiller, Kaisergesch. I p. 826 adn. 3). 4) Archäol.-epigr. Mitteilungen aus Österreich (= a. e. M.) XVII p. 174 n. 10 = III 12394 (n 54) post annum 212 exaratus. Fortasse huc spectat etiam III 12439 = a. e. M. XVII p. 196 n. 63 (n. 78). 5) III 6224 = 7591 (n. 40), III 13719 = a. e. M. XVII p. 216 n. 116 (n. 56), III 12899 = Bulletino di Archeologia e Storia Dalmata (= bull. Dalm.) XIV p. 65 n. 32 (n. 100). 6) Fortasse christiani aetatis est propter nomen filii Stercorii. 7) Tocilesco, Fouilles et recherches archéologiques en Roumanie. Bucarest 1900.

cognomine carere non potuit. Deinde titulus, de quo quaestio est, in ipsa provincia Moesia inferiore, ubi legio I Italica stativa habebat, positus est; eiusmodi autem cognominibus a provinciae, in qua tendebant, nomine derivatis legiones tum tantum a ceteris legionibus distinctas esse consentaneum est, cum milites extra provinciae fines morabantur: legio II Adiutrix Moguntiaci II Pannonica appellata est[1]); legio V Macedonica in Dacia Maluensi tegulas coxit verbis l(eg.) V Moes. impressis[2]); legio VI Victrix et in Pannonia inferiore et in Dacia tegulas verbis leg. VI His(pana) signavit[3]); Valerium Tertium, militem cohortis X praetoriae, in legione Moesiaca probatum esse legimus in titulo VI 2759 Romae reperto; Lanuvii, in oppido Latii, exstat inscriptio[4]), ubi legionum [XXII P]rimig(eniae) Germ. et Germ. XXX U(lpiae) mentio fit[5]). Ac ne explicatio quidem compendiorum in CIL prolata 'vexil(latio) leg(ionis) I Ital(icae) M(oesicae) et V Ma(cedonicae) D(acicae)' ab omni parte tuta esse videtur[6]). Quamquam enim fieri potuit, ut legioni I Italicae cognomen a provincia, ubi et legio et vexillatio degebat, petitum inderetur, ut a legione V Macedonica alia e provincia accita distingueretur, tamen id ipsum dubitationem movet, quod legio, quae in Dacia castra posuerat, Tropaeum Traiani vexillationem delegabat, milites autem legionis XI Claudiae in ipsa Moesia inferiore tendentis, cum in illo titulo non laudentur, eo tempore ibi non versatos esse probabile est. Quae cum ita sint, hunc titulum pro testimonio fide digno, quo eluceat legionem cognomen Moesiacae etiam in Moesia ipsa gessisse, adhibere nolo.

---

1) Bonn. Jahrb. LXXII p. 140; Gündel l. l. p. 16. 2) III 6241 = 8068. 3) III 3754 = 11852; III 1632 = 8069. 4) XIV 4178 b. 5) Eandem fere cognomina geographica adhibendi rationem cognosci posse in titulis et alarum et cohortium auxiliarium admonuit Cichorius (Pauly-Wissowa, Realencyclopädie, s. v. ala I p. 1225, p. 1252; s. v. cohors IV p. 233, p. 336). Cum illis adiectivis autem non confundendas esse puto voces a castris castellisve, ubi milites in statione erant, depromptas, cum eiusmodi verbis appositis legiones vel partes legionum distinguantur sive ab aliis legionibus sive a ceteris eiusdem legionis partibus aliis provinciae locis collocatis: e. g. [III 1701 leg. Vim(inaciensis)? cf. III p. 1470], III 13814 [le]g. VII T[aliatis], III 13815 a leg. IIII Fl. Cu[ppis], III 14597 4 = Sbornik sa narodni umotworenia, Sofia, XVIII (1901) p. 764 n. 63: l[eg.] XIII G(em) Rat(iariae); III 12526 [leg. XI] Cl(aud.) f. Tram (= Transmariscae?); III 12527 leg. XI Cl. f. Cand(idianae?) 6) Inter eiusdem verbi litteras interdum puncta posita esse cognoscitur e. g. e nn. 54, 95, p. 78 adn. 9 e.

Insignibus legio I Italica quamvis multis Eckhelio[1]) praedita esse videbatur. In nummis enim, in quibus solis insignia legionis una cum nomine eius exstant[2]), repertae sunt imagines aquilae, [tauri,] apri, capricorni, bovis marini, lupae cum gemellis. Atque aquila, quae nisi Septimii Severi aetate cum hac legione non coniungitur[3]), cum in omnium legionum nummis ab hoc imperatore cusis inveniatur, ita non proprium legionis I Italicae insigne putari potest, ut celeberrimum illud legionum signum sit. Lupam autem gemellis mammam praebentem cum saepissime nummi legionis II Italicae exhibeant atque ii soli, suspicio est sive monetarium in numero legionis excidendo erravisse sive priorem hastam numeri II detritam esse ac prorsus evanuisse. Quare Feuardent hos inter legionis II Italicae nummos inseruit[4]). In eo autem nummo, ubi capricornus occurrit, legionis adnotatio ab Eckhelio[5]) male lecta esse videtur, cum eiusmodi imago neque a Cohenio neque a Kolbio[6]) in legionis I Italicae nummis describendis afferatur. Restant igitur taurus, bos marinus, aper. Sed verbis tauri et bovis marini idem animal significari puto; nam taurus a Kolbio semel tantum[7]) commemoratur in nummo quodam, quem e Cohenii libro[8]) petivit neque ipse inspexisse videtur. Hoc autem in nummo bovem **marinum** cognosci et Cohen ipse[8]) et Feuardent in altera Cohenii libri editione[9]) adnotat, quamquam hic Kolbii dissertationem laudat[10]).

Itaque sentio praeter aprum legioni I Italicae solum[11]) attributum esse animal e priore parte tauri et posteriore parte piscis

---

1) Eckhel, Doctrina nummorum veterum^2. Vindobonae 1828. VII p. 402 sq. 2) In titulo III 6230 (= n. 69) nomen aut omnino non insculptum erat aut temporum iniquitate periit. 3) Eckhel, Doctr. num. VII p. 168; Cohen, description historique des monnaies communément appelées médailles impériales IV^2 p. 31 sq. 4) Cohen, méd. imp. V^2 p. 388 n. 475 sq. (In priore editione non exstant.) 5) l. l. p. 402. 6) Kolb, Die Legionsmünzen des Kaisers Gallienus, Wiener Numismatische Zeitschrift V p. 53 sqq., p. 66 sqq. 7) l. l. p. 67 n. 12. 8) l. l. IV^1 p. 382 n. 266. 9) l. l. V^2 p. 387 n. 455. cf. in nummis legionis n. 4. 10) l. l. V^2 p. 386 adn. 1. Domaszewski autem (Die Fahnen im römischen Heere, Abhandlungen des arch.-epigr. Seminars der Universität Wien V [1885] p. 55) Kolbium secutus est. 11) Videmus igitur hanc legionem duo insignia habuisse. Cum autem legiones II Augusta et IV Macedonica, quas solas in eodem monumento plus unum insigne adhibere adhuc

compositum[1]). Quod utrum pro tauro accipiendum sit an, id quod verisimilius est, pro monstro in aqua degente, equidem diiudicare nolo[2]).

Hanc utramque imaginem quodammodo explicari posse credo. Taurum enim e zodiaci signis depromptum esse Domaszewski[3]) intellexit. Idem docuit[3]) eum propterea multis legionibus inditum esse, quia sol eo mense, quem Venus, dea tutelaris gentis Iuliae, regebat, in hoc zodiaci signo lucebat. Eadem de causa Nero, quippe qui artissime cum gente Iulia coniunctus esset, hoc insigne legioni I Italicae dare potuit. Quod autem de alterius animalis significatione excogitari potest, haud ita certum esse fateor: Bos marinus cum in regno Neptuni viveret eumque comitaretur, nescio an cum hac legione coniunctus sit, quia Neptunus eum mensem regebat, quo Nero conceptus est[4]).

Reliquum est, ut referam, quam sententiam Domaszewski de apri imagine explicanda protulerit[5]). Qui nos de quinque vetustissimis illis signis admonet, quae primis ab urbe condita saeculis exercitus Romanus secum ducere solebat. Quo in numero praeter aquilam, lupum, minotaurum, equum etiam aper erat. Haec animalia

---

compertum est (cf. Cagnat, Daremberg et Sagliot, Dictionnaire s. v. legio III p. 1074), binis animalibus praeditae sint, fortasse suspicatur quispiam primos imperatores bina insignia legionibus indere consuevisse.

1) cf. Kolb l. l. p. 67 n. 13. Depictam invenies eiusmodi bestiam e. g. in libro Baumeisteri (Denkmäler des klassischen Altertums) III p. 1672 tab. 72, in lexico mythographico Roscheri III 1 p. 238. 2) In nummis legionum I Adi. XIV Gem. XXII Primig. capricornum, quod signum e zodiaco delibatum esse inter viros doctos constat, in piscem exeuntem videmus (Kolb l. l. tab. IV n. 1; tab. V n. 20, 21, 22); ab altera parte taurus legionibus a Caesare creatis attributus (Domaszewski, a. e. M. XV p. 184 sqq., p. 187) semper usitatam tauri formam prae se fert (Kolb, l. l. tab. V n. 12—17; a. e. M. XV p. 185 fig. 1. Cagnat l. l. III p. 1066, 1069, 1075). 3) a. e. M. XV p. 181 sqq., p. 187. 4) Cum Nero a. d. XVIII Kal. Ian. natus esset (Suet. Nero 6), dies conceptionis erat Id. Mart.: inde ab a. d. XV Kal. Mart. ad a. d. XVII Kal. April. Neptunus regnabat (Mommsen, Römische Chronologie p. 305). Populos antiquos autem in sidere natalicio statuendo conceptionis potissimum diem respexisse admonuit Gardthausen (Augustus und seine Zeit II 1 p. 18). Concedendum vero est mihi adhuc non contigisse, ut eruerem, quare Nero, si modo hac de causa bovem marinum elegit, et pisces, proprium natalicium sidus, et Neptunum ipsum (cf. Kolb, l. l. tab. V n. 18, 23) repudiaret. 5) 'Religion', WDZ XIV p. 119.

deos esse antiquitus cultos idem vir doctus qua est sagacitate coniecit atque docuit eos esse Iovem, Martem, Quirinum, Iovem Feretrium, Iovem Statorem. Legionem autem I Italicam conscriptam esse ex Italis i. e. e Quiritibus. Quiritium vero nomen aliquo modo cum vocabulo Quirini cohaerere. Itaque verisimile esse legioni I Italicae propterea aprum attributum esse, quod aper Quirinum significasset atque hac de causa iam antiquissimis temporibus inter signa exercitus adhibitus esset. Haec coniectura quamquam non ab omni parte tuta est — aprum enim Quirino adiunctum esse aliunde confirmari posse non videtur neque Neronem, cum in antiquitate cognoscenda non tantam operam navaret, quantam Claudius, probabile est ad obsoleta illa signa recurrisse — tamen eam retinendam esse puto, dum explicatio certior suppetat. Afferre autem liceat, quam rationem inire possit, qui hoc quoque insigne adnectere vult signis e zodiaco delibatis: aper Artemidi potissimum tribuitur[1]). Diana autem eum mensem regebat, quo Nero natus est[2]). Atque aprum Nero elegit, cum sagittarius, quod zodiaci signum illo mense valebat, magis ad levem armaturam quam ad legionem spectaret neque cerva, qua nullum animal Dianae sanctius erat, ob timorem et pavorem innatum apta esse videretur, quae legioni magnae spei plenae inderetur. Hac cum sententia non pugnaret, quod Augustus in sidere natalicio eruendo a die conceptionis profectus est[3]), cum Tiberium quoque ipsius diei natalis rationem habuisse verisimile sit[4]). Neque impedimento esset, quod in titulo III 6230 (n. 69) apri imago dextro lateri apposita est; nam in arca legionis IV Macedonicae capricorni signum, sidus natalicium Augusti, in eodem latere exstat.

3. De delectu legionis.

Quaestio, quae est de delectu legionum, cum Mommenseni Baehrique opera[5]) iam pertractata sit, nihil mihi relinquitur nisi ut

---

[1]) Preller-Robert, Griechische Mythologie I[4] p. 303, 329 adn. 2, cf. p. 315, 361; Wernicke ap. Pauly-Wissowa, Realencycl. s. v. Artemis II p. 1434 sq.; in ara a. e. M. XVI p. 7 n. 90 deae nomen deletum esse doleo. [2]) Ab a. d. XIV Kal. Dec. ad a. d. XVII Kal. Ian. cf. Mommsen, Römische Chronologie p. 305. [3]) Gardthausen, l. l. [4]) Domaszewski, a. e. M. XVII p. 34. [5]) Mommsen, Ephemeris epigraphica (Eph. ep.) V p. 201 sq.; ceteras dissertationes laudatas habes p. 12 adn. 2, p. 13 adn. 7.

eos, qui novi interim accesserunt, titulos tabellae a Mommseno compositae adiciam atque paucis ostendam, quousque, quae illi viri in universum contenderunt, etiam hac in legione supplenda valuerint. Atque post Mommseni dissertationem[1]) nobis innotuerunt milites vel veterani oriundi ex:

Italia: III 12352 = a. e. M. 14 p. 146 n. 11 (n. 48) [Q] [T]al[o]-n(ius) [Q. f.] An[ie]nsi Co[n]sta[n]s Arimini
rep. Oesci (Moes. inf.)

Macedonia: III 7441 (n. 44) C. Valerius C. f. Fab. Longinus Her(aclea)
rep. in castris Novensibus; propter tribum Fabiam ad Heracleam Senticam originem refert Domaszewski.

III 12409 = a. e. M. 15 p. 209 n. 81 (n. 51) P. Pompeius P. f. [A]em. Magnus S[t]o(bis)
rep. in vico Nedan (Moes. inf.)

Pamphylia: III 14491 = Tocilesco, rech. arch. p. 190 n. 7 (n. 61) C. Crispinus C. f. Claudia Firmus Aspendo
rep. in vico Celei ex adverso Oesci sito.

His exemplis certissimis mea quidem sententia adnectere licet milites centurionesve, qui lecti esse videntur ex:

Italia: V 7667 (n. 91) C. Albius C. f. C[a]m Severus
qui miles tribui Camiliae addictus est, quae eadem erat tribus Augustae Bagiennorum, ubi hic titulus in totius familiae sepulcreto exstitit.

Atque praeterea ex:

Moesia inferiore: III 7428 (n. 42) C. Iulius Crescens
rep. Oesci (Moes. inf.); qui centurio, cum pater veteranus legionis V Macedonicae sit, fortasse in castris huius legionis natus est (Baehr, l. l. p. 39).

VIII 2786 (n. 111) P. Aelius P. f. Romanus ex Mysia
rep. Lambaesi; qui centurio in provincia Moesia lectus est atque primo centurionatu in legione I Italica functus est. (Honores ordine inverso enumerati sunt, quoniam titulus Lambaesi repertus centurionatum legionis III Augustae primo loco exhibet.) Quare verisimile est eum in legione I Italica probatum esse.

---

[1]) Mommsen affert titulos hos: VI 2601 (n. 80), VI 2785 (n. 81/82), VI 2803 (n. 83), XIV 3631 (n. 85), ubi Thracia patria est, III 6144 (n. 35: Nicopolis, Moes. inf.), III 8198 (n. 107: Lucus Augustus, Gall. Narb.), III 6232 (n. 41: Gabala[?] Syriae).

Africa: III 756 (n. 32) L. Cornelius [F]ronto; veteranus rep. in castris Novensibus. Cum filio Mampsalachano nomen Punicum sit, patrem hominem Africanum fuisse putat Desjardins, Annali dell' Instituto 1868 p. 54 n. 45.

Propter nominum formam ad regiones Haemo monti adiacentes referri possunt:

III 2008 (n. 95): Disdozi frater
III 12408 = a. e. M. 17 p. 184 n. 36 (n. 55): Aur. Dizze [1]) frater
III 12392 = a. e. M. 14 p. 160 n. 54 (n. 72?): Durazis [2]) frater
III 2009 (n. 96): Aur. Mucatra [3]).

Quibus facile adiunguntur tituli ei, qui post Hadriani aetatem in Moesia positi sunt; nam cum legiones ex ea ipsa, ubi tendebant, provincia supplementum peterent, iam supervacaneum videri potuit patriam addere [4]).

At computemus, quot e quaque regione milites lecti sint: reperiuntur

	exempla certa	tantum non certa	
Italia:	1	1	
Gallia Narb.:	1	—	
Pamphylia:	1	—	
Syria:	—	1	
Africa:	—	1	
Macedonia:	2	—	
Moesia inf.:	1	2	+ 4
Thracia:	4	—	
	10	9	

[1]) cf. Tomaschek, Die alten Thraker II 2, Personen- und Ortsnamen, Sitzungsberichte der Wiener Akademie, phil.-hist. Classe LXXXI (1894) p. 32 sq. [2]) Ib. p. 35. [3]) Ib. p. 25 sq. [4]) Schilling, l. l. p. 27. — Hos in tabulam appositam non recepi. E titulis autem centurionum legionis I Italicae exceptis iis, quos supra laudavi, nihil enucleari potest, cum non indicetur, utrum hac an alia in legione ordinem acceperint. Quare nihil constat de his:

III 6223 (n. 39) M. Maesius Geminus Bononia pp.
XI 385/6 (n. 87/88) L. Betutius L. f. Pal. Furianus pp . . . . patriae amantissimus; titulus Arimini repertus est.
XII 2601 (n. 93) Blandius C. [f.] Vol. Latinus, quem centurionem,

Si vero disquirimus, cui aetati quaeque inscriptio tribuenda sit, cognoscimus Italiam, ubi legionem conscriptam esse Suetonius prodidit [1]), initio tantum supplementum praebuisse [2]): uterque enim miles e septentrionali parte Italiae oriundus non solum patrem tribumque adhibet, sed etiam nomine gentilicio (Albius, Talonius) praeditus est, quod suam vim atque vigorem habet et differt a nominibus iis, quae posteris potissimum temporibus iterum ac saepius in titulis militaribus occurrunt (dico Valerios, Ulpios, Aelios, Aurelios aliosque).

Idem valet in M. Licinio M. f. Volt. Optato [3]) orto e Gallia Narbonensi, quae provincia inde a Claudii aetate artiore quodam vinculo [4]) cum Italia conexa est. Huc accedit, quod Scupos, ubi hic titulus in lucem prodiit, a Flaviis veterani deducti esse videntur [5]). Quare, cum legio I Italica, postquam Moesia in duas provincias divisa est, in Moesia inferiore collocata sit neque ullus praeterea titulus huius legionis in Moesia superiore eruderatus sit, haec inscriptio optimam habet explicationem, si Licinium quoque, cum colonia illa conderetur, statim eo missum esse putamus. Sed hac de re nihil certi statui potest, quia frustulum tantum illius inscriptionis aetatem tulit.

Imprimis vero memoratu dignum videtur titulo III 14491 (n. 61) reperto demonstrari legionem etiam ex Asia supplementum petivisse, id quod de ceteris Moesiacis legionibus iam constabat.

cum tribus Voltinia Genevae saepe occurrat, hoc in oppido, ubi titulus repertus est, natum esse suspicor.
III 12388 = a. e. M. 14 p. 158 n. 45 (n. 49) M. Aur. Iason et
III 12371 = a. e. M. 14 p. 145 n. 7 (n. 47) . . Aelius . . Artemidoru(s), qui propter cognomina e provincia quadam graeca oriundi esse videntur.

Contra non in legione I Italica tirocinium fecerunt: III 7334 (n. 106) Curibus Sabinis natus, III 6224 (n. 40) domo Horrei Margensis, III 42 (n. 110) Corinthi ortus, III 6185 (n. 37) Karthaginiensis.

[1]) Suet. Nero 19 cf. supra p. 11 sqq. [2]) nisi utrumque Italum ipso anno 67 sacramento adactum esse putare mavis. [3]) III 8198 (n. 107). [4]) Tac. ann. XI 23—25; CIL XIII 1668; Schiller, Kaisergesch. I p. 329; Hoeck, Römische Geschichte vom Verfall der Republik bis Constantin, Göttingen 1850 I 3, p. 286 adn. 3. [5]) Domaszewski CIL III p. 1460.

In tribus autem illis inscriptionibus, quae milites ex Asia Africave oriundos exhibent, nihil invenio, quo prohibeamur illos milites non post Hadriani aetatem probatos esse putare. Nomen enim Aureliae, quod et coniugi et nepoti Crispini (n. 61) inditur, iam Antonino Pio imperante pervulgatum esse discimus e laterculo vexillationis[1]) cuiusdam legionis XI Claudiae anno 155 exarato.

Macedones et Moesi utrum ante Hadriani tempora tirones facti sint an postea, diiudicari nequit. Hoc tantum statuendum est P. Aelium Romanum[2]) saeculo altero exeunte militasse videri[3]), ceteros propter patris nomen tribumque adhibitam ad alterum potius quam ad tertium saeculum referendos esse[4]).

Thraces autem qui innotuerunt aut in praetorium allecti sunt[5]), id quod non ante Septimium Severum factum est, aut in Dalmatia mortui sunt[6]), ubi vexillatio legionis Alexandro Severo regnante in statione erat[7]), aut certe tum stipendia meruerunt, cum nomen Aureliorum praevalebat[8]).

Ad extremum admonendum est adhuc nullo testimonio probari posse, ullam occidentalem provinciam excepta Gallia Narbonensi tirones praebuisse.

Videmus igitur hanc legionem primo ex Italia Galliaque Narbonensi supplementum petivisse, tum (vel eodem tempore) e provinciis orientalibus, deinde e regionibus Haemo monti adiacentibus. Tertio autem saeculo praevaluisse videntur homines Thraces. Haec optime congruunt cum iis, quae viri docti de delectu legionum in universum disserentes docuerunt.

---

[1]) III 7449, ubi 17 Aurelii, 8 Aelii enumerantur; contra III 8110 inter milites annis 134/5 probatos 1 Aurelius, 13 Aelii inveniuntur. [2]) VIII 2786 (n. 111). [3]) Wilmanns ad VIII 2786. [4]) Kubitschek, De Romanarum tribuum origine ac propagatione, Abhandlungen des arch.-epigr. Seminars der Universität Wien III (1882), p. 201: 'in titulis saeculi alterius extremi tribuum rara fit mentio, rarior etiam in tertii saeculi parte priore, postea autem eius rei vix unum alterumve invenitur vestigium'. [5]) nn. 80, 81/82, 83 (85) cf. infra p. 88. [6]) n. 95, 96. [7]) cf. infra p. 89 sqq. [8]) n. 55, 80, 81/82, 95, 96; de n. 72 nihil certi contendi potest.

CAPUT II.

DE REBUS A LEGIONE I ITALICA IN ITALIA ET GALLIA GESTIS.

Legionem, postquam e tironibus Italicis h. e. in Italia conscripta est, aliquamdiu in Italia moratam esse iam exposui[1]). Ibi eam hiemem quoque anni 67/68 degisse putandum est neque cum Schillero[2]) e Dionis verbis[3]) colligendum est eam iam illo anno in Moesia hiemasse: nam Dionem memoriae prodidisse, quo loco sua ipsius aetate legio castra haberet, elucet cum e participio praesentis (*χειμάζον*) tum e nomine provinciae Moesiae inferioris, quoniam Moesia Domitiano demum imperante in duas provincias divisa est[4]); id quod ea re confirmatur, quod Dio legiones I et II Adiutrices Pannoniae inferiori, legionem IV Flaviam Moesiae superiori, legionem XXX Ulpiam Germaniae attribuit, quibus in provinciis Dionis aetate collocatae erant, cum recens conscriptae in Italia[5]), Germania inferiore[6]), Dalmatia[7]), Pannonia superiore[8]) versatae essent.

Vere anni 68[9]) a Nerone in Galliam praemissa esse videtur, sive ut Vindicem debellaret[10]) sive, id quod probabilius est[11]), ut Rhodani fluvii Alpiumque transitus a Galba Verginioque Rufo

---

[1]) Supra p. 21 sqq. [2]) Schiller, Nero p. 408. [3]) Dio 55, 24, 2: *ὁ Νέρων ⟨συνέταξε⟩ τὸ πρῶτον ⟨στρατόπεδον⟩ τὸ καὶ Ἰταλικὸν ὀνομαζόμενον καὶ ἐν τῇ κάτω Μυσίᾳ χειμάζον.* [4]) Marquardt, St.-V. I² p. 303; Gsell, Essai sur le règne de l'empereur Domitien, Paris 1892 p. 135 sq.; Premerstein, Jahrh. öst. arch. Instit. III Beibl. p. 138; cf. infra p. 59. [5]) Jünemann l. l. p. 31, 34. [6]) Gündel l. l. p. 22 sqq. [7]) cf. infra p. 52 sq. [8]) Schilling l. l. p. 32, 38, 50. [9]) velim conferas, quae dixi p. 21 adn. 2. [10]) Pugnae ad Vesontionem commissae ut interfuerit, nihil invenitur, unde efficiatur. [11]) cf. append. I p. 113 sq.

defenderet, quoad ceterae copiae, quas Nero coacturus erat, subsequerentur. At cum Nero saluti suae desperans voluntaria morte de vita decederet, nulla iam relicta causa belli Lugduni castra posuit.

Lugduni[1]) legio hiemabat, cum Kal. Ian. anni 69 exercitus Germanicus a Galba defecit; quo nuntio allato ut Iunius Blaesus, legatus Augusti pro praetore Galliae Lugdunensis, ita legio I Italica, quae tum sub imperio Manlii Valentis legati erat[2]), ad Vitellii partes transiit[3]) neque ab Othonis legatis[4]), si modo legionem adierunt — neglegenter enim rem gessisse videntur — commoveri potuit, ut ad officium rediret. Cum Fabius Valens, qui cum copiis ex inferioris Germaniae exercitu electis per Galliam proficiscebatur, Lugdunum pervenisset, legio I Italica ei se adiunxit[5]) atque eo duce Allobrogum Vocontiorumque finibus peragratis[6]) per Alpes Cottias in Galliam transpadanam iter fecit. Ticinum flumen transgressae Valentis copiae postquam compererunt[7]), quam cladem Caecina, alter Vitellianorum dux, ad Castores accepisset, cum Caecinae exercitu se coniunxerunt[8]) atque pugna Bedriacensi Othonianos fuderunt atque fugaverunt. In ipsa pugna quas res legio I Italica gesserit, ignoramus, nisi eam in eorum numero fuisse putas, qui legionem XIV Geminam circumvenerunt circumventamque profligaverunt[9]). Ante pugnam autem legio I Italica equites eos, qui ut hostes prohiberent, dum acies instrueretur, praemissi erant, cum ab Othonianis repellerentur, mucronibus destrictis excepit et proelium redintegrare coegit[10]). — Hostibus devictis et in deditionem acceptis[11]) cum ceteris Vitellianorum copiis hanc quoque legionem Romam profectam Vitelliumque sollemni agmine in urbem intrantem comitatam esse pro certo affirmare possumus: quattuor enim legionum aquilae illo die Vitellio triumphanti praelatae sunt[12]); quattuor autem legiones paulo post Caecina duce in Galliam cisalpinam profectae sunt: legiones V Alaudae, XXII Primigenia, XXI Rapax, I Italica[13]); quas quattuor illas legiones modo laudatas fuisse consentaneum est,

---

[1]) De ea, quae legio in exercitu Vitelliano gessit, iam Stille l. l. p. 22 disseruit, cuius libellum velim inspicias. [2]) Tac. hist. I 64. [3]) Ib. I 59. [4]) Ib. I 74. [5]) Ib. I 64. [6]) Ib. I 66. [7]) Ib. II 30. [8]) Ib. II 31. [9]) Ib. II 43. [10]) Ib. II 41. [11]) Ib. II 45. [12]) Ib. II 89. [13]) Ib. II 100.

cum utroque loco Tacitus omnes, quae tum Vitellio praesto erant, copias enumeret. Unde efficitur, ut legio I Italica cum Vitellio Romam venerit atque in Italia ipsa[1]) morata sit, quoad bellum contra Vespasiani exercitum paratum est.

Tum A. Caecina duce ad bellum profecta[2]) cum legione XXI Rapace ad Cremonam obtinendam praemissa est[3]) Caecina ipso circa Hostiliam proditionem moliente[4]). Cum autem eae Vitellianorum legiones, quae Hostiliae consederant, Caecina ut partium proditore in vincula coniecto[5]) Cremonam versus se reciperent[5]) atque Antonius Primus, Flavianorum dux, Verona profectus[6]) praeter Bedriacum ipse quoque Cremonam peteret[6]), legiones I Italica et XXI Rapax, equitibus, qui una cum iis illa in colonia versabantur, praemissis[7]) Flavianis obviam ierunt[8]). Ad quartum autem a Cremona lapidem progressi, cum dux deesset, legionarii neque equites ab hostibus repulsos turbatosque receperunt neque ultro impetum fecerunt; atque, cum hostium equites peditesque ei, qui cum equitatu praecucurrerant, in legionum ordines irrumperent, loco cesserunt Cremonamque fuga petiverunt[9]). Insequenti nocte[10]) cum et cunctus Antonii Primi exercitus accessisset[10]) et ea pars Vitellianorum, quae ad Hostiliam castra muniverat, accurrisset, pugna iterata[11]) legionum I Italicae et XXI Rapacis milites, ut quisque advolaverat, ceterarum legionum vexillationumque manipulis se miscebant[12]). Sed ne tum quidem Vitelliani aequiore Marte contenderunt: Acie profligata[13]) castris expugnatis[14]) Cremona ipsa oppugnata[15]) ut omnes Vitelliani, ita legio quoque I Italica coacta est a victoribus pacem veniamque petere[16]). Utraque impetrata ʻvictae legiones, ne manente adhuc civili bello ambigue agerent, per Illyricum dispersae' sunt[17]).

---

[1]) In meridionali parte Italiae eam fuisse coniciat quispiam ex eo, quod ʻpostremo agmine' profecta est (Tac. hist. II 100); nam cum ʻper omnia Italiae municipia Vitelliani desides voluptates hauserint' (Tac. hist. III 2), nescio an verisimile sit eos, qui longissime a Gallia cisalpina distarent, proficiscentium agmen clausisse. [2]) Tac. hist. II 100. [3]) Ib. III 14. [4]) Ib. II 100 sq., III 13 sq. [5]) Ib. III 14. [6]) Ib. III 15. [7]) Ib. III 16 sq. [8]) Ib. III 18. [9]) Ib. III 19. [10]) Ib. III 21 sq. [11]) De tempore huius pugnae cf. append. II. [12]) Tac. hist. III 22. [13]) Ib. III 23—25. [14]) Ib. III 26—29. [15]) Ib. III 30 sq. [16]) Ib. III 31. [17]) Ib. III 35.

In Gallia igitur transalpina legio tendebat minus unum annum: inde a mense Aprili vel Maio[1]) anni 68 usque ad mensem Februarium vel Martium[2]) anni sequentis. In Italia autem versabatur inde ab eo tempore, quo a Nerone conscripta est, ad mensem Aprilem vel Maium anni 68 atque iterum vere, aestate, autumno anni 69.

---

[1]) Non ante a. d. XIV Kal. April. vel potius non ante a. d. XVII Kal. Maias anni 68 eam ex Italia profectam esse supra (p. 21 adn. 2) admonui; nonnullos autem dies praeterisse certum est, antequam in Galliae fines perveniret. [2]) Concedendum est nos nescire, quando Fabii Valentis exercitus Galliae cisalpinae fines ingressus sit, neque quicquam certum ex Itinerariis effici potest, quamquam ibi via, qua ei proficiscendum erat, perscripta est, cum ignoremus, ubi in itinere consederit et quamdiu unoquoque loco moratus sit. Colligendum autem est Valentem, cum 'lento agmine' (Tac. hist. I 66) iter faceret ac saepissime in itinere consisteret, non iam mense Ianuario in Italiam pervenire potuisse; ab altera parte non est verisimile eum post Kal. April. eo advenisse, quia ad Ticinum, quod flumen ab Italiae finibus 112 mp. distat (111 mp. Itin. Ant. 356, 9—13; 113 mp. Itin. Hieros. 556, 7—557, 8; 112 mp. Itin. Ant. 340, 1—341, 2 cum v. 340, 6 cum codicibus DP mpm XIII scribendum esse Otto Cuntz, Wiener Studien 15 p. 265 sq. probaverit) castris munitis Caecinam a. d. VIII Id. April. (Puhl, De Othone et Vitellio imperatoribus quaestiones, diss. Hal. 1883 p. 8) ad Castores victum esse postridie, opinor, eius diei cognovit.

CAPUT III.

DE LEGIONE I ITALICA IN MOESIA VERSANTE.

1. Quando legio in Moesiam translata sit quaeritur.

Post pugnam Bedriacensem cum Tacitus legionem I Italicam iam nullo loco nominatim commemoret, difficillima est quaestio anquirentibus proximis annis legio quid gesserit quidque passa sit.

Qua in quaestione solvenda quodammodo ab ipso Tacito iuvamur, quippe qui duobus locis paucis referat, quid consilii Flaviani victores de Vitellianis victis inierint. Atque apparet victoribus timendum fuisse, ne Vitellianorum copiae data occasione, id quod Flaviani ipsi fecerant, denuo conspirarent bellumque renovarent. Quare remedia illa ad militum animos mitigandos apta adhibuerunt: Cum enim constaret legiones, si in unum locum coactae essent, promptiores esse ad novarum rerum studia, quam si distraherentur, sicut Vitellius ante sex menses Othone devicto hostium legiones alias in alias provincias dimiserat[1]), ne consilia inter se communicarent, ita Antonius Primus victas legiones, ne 'ambigue agerent', dispersit atque eas, ut ex Italiae finibus amoveret, in Illyricum proficisci iussit[2]). Praeterea iam diu cognitum habebant imperatores Romani legiones, ne bellum civile domesticasque discordias molirentur, facillime impediri posse, si externis bellis implicabantur. Quare Mucianus, cui Vespasianus summam imperii delegaverat, consilium cepit Vitellianum exercitum in eas potissimum provincias transferre, ubi tum bellum gerendum erat[3]). Duabus autem in provinciis tum solito

---

[1]) Tac. hist. II 66 sq. [2]) Ib. III 35: 'victae legiones, ne manente adhuc civili bello ambigue agerent, per Illyricum dispersae'. [3]) Ib. III 46: '⟨Vitellianus exercitus⟩, quem spargi per provincias et externo bello inligari pars consilii pacisque erat'.

maioribus copiis opus erat: et in Germania, ubi Iulius Civilis nuntio de pugna Bedriacensi allato pro Gallis cum populo Romano se decertaturum esse profitebatur[1]), et in Moesia, quam in provinciam Daci et Sarmatae invaserunt[2]). Nam ad bellum Iudaïcum tantum non confectum legiones a Nerone eo missas suffecisse putandum est, cum Iosephus, quippe qui scriptor copiosissimus, quando quaeque legio ad belli sedes arcessita sit quidque ibi gesserit, disertis verbis exponat, memoriae non prodat ullam legionem sive Vitelliani exercitus sive omnino provinciarum Europaearum eo delegatam esse. Seditiones autem illae ac tumultus, qui tum in Britannia[3]), in Africa[4]), in Ponto[5]) exorti sunt, cum levioris essent momenti, brevi tempore ab exercitibus illis in provinciis tendentibus oppressi sunt.

Contra in Moesia gravissimum bellum exarsisse vel ex eo cognoscitur, quod paulo post Fonteius Agrippa legatus Augusti pro praetore provinciae Moesiae atroci proelio cum Sarmatis congressus ipse ab hostibus interfectus est[6]). Gravi illo bello victas legiones implicare prudentis imperatoris fuisse quis est qui neget? Et legimus apud Tacitum[7]) Mucianum, cum mense Novembri anni 69[8]) Fonteium Agrippam Moesiae praeficeret, partem Vitelliani exercitus in Moesiam arcessisse.

Iam est quaerendum, legio I Italica utrum ipsa quoque pars fuerit copiarum earum, quae anno 69 in Moesiam translatae sunt[9]), an illo anno alteri provinciae, quae tum bello flagrabat — Germaniae —

---

[1]) Tac. hist. IV 32 + 54. [2]) Ib. III 46; IV 54; Ios. bell. Iud. VII 4, 3, 89 sqq. Niese. [3]) Tac. hist. III 45. [4]) Ib. IV 50. [5]) Ib. III 47 sq. [6]) Ios. bell. Iud. VII 4, 3, 90 sqq. Niese: *οἱ καλούμενοι Σκυθῶν Σαρμάται . . . τὸν πρεσβευτὴν τὸν ὑπατικὸν Φοντήιον Ἀγρίππαν ὑπαντιάσαντα κρατερῶς μαχόμενον κτείνουσιν.* [7]) Tac. hist. III 46: 'Fonteius Agrippa . . . Moesiae praepositus est, additis copiis e Vitelliano exercitu'. [8]) Quod factum esse post pugnam Bedriacensem nocte, quae erat inter a. d. III et pridie Kal. Nov., commissam (cf. append. II) et ante Romam a. d. XIII (XII) Kal. Ian. expugnatam (Chambalu l. l. p. 7 adn. 1) elucet e temporum ordine a Tacito adhibito. [9]) Hoc iam Grotefend (Pauly, Realencyclopädie IV p. 871) suspicatus est; quem secuti sunt: Stille l. l. p. 23; Pfitzner l. l. p. 62, 69, 157, 221; Ritterling WDZ 12 p. 113; Jünemann l. l. p. 45; Cagnat, ap. Daremberg et Sagliot, Dictionnaire l. l. p. 1076; qui omnes nullo argumento nituntur nisi Taciti loco supra laudato (Tac. hist. III 46).

attributa sit. At in Germaniam eam venisse negare possumus, quod Tacitus, qui cum Batavorum seditionem diligenter perscribat, tum, quae legiones aut ad bellum missae sint aut recentes in illam regionem advenerint, numeris nominibusve adiectis enumeret neque, quid quaeque legio egregie fecerit, silentio praetereat, in illa seditione enarranda nunquam legionem I Italicam commemorat.

Iam te concessurum spero non sine aliqua veritatis specie contendi posse legionem I Italicam anno 69 in Moesiam venisse. Sane vehementer est dolendum eorum legionis I Italicae titulorum, qui in Moesia reperti sunt, nullum cum probabilitate quadam ad Vespasiani aetatem referri posse.

At videamus numquid cum illa sententia pugnet. Atque tenendum est titulos non obstare: nulla enim inscriptio extra Moesiae fines in lucem prolata est, ex qua colligi possit legionem I Italicam primo p. Chr. n. saeculo alia in provincia castra posuisse. Imprimis autem monendum est fieri non potuisse, ut tituli in Dalmatia reperti — quorum potissimum hac in quaestione persolvenda ratio habenda est, cum Dalmatia quoque pars Illyrici fuerit[1]), per quam regionem victas legiones ab Antonio Primo dispersas esse Tacitus refert[2]) — ante alteram partem alterius p. Chr. n. saeculi ponerentur[3]). Ac ne id quidem, quod rerum scriptores tradiderunt, impedimento est, quominus hanc legionem iam anno 69 in Moesiam venisse putemus, cum a nullo eorum, qui de illis temporibus scripserunt, legionis I Italicae mentio fiat.

Iam paucis complectar, quae adhuc exposui: E monumentis colligitur fieri posse, ut legio illo anno in Moesiam translata sit; e Taciti et Iosephi silentio concludi potest eam annis 69 et 70 neque in Germaniam neque in Syriam missam esse; e Taciti loco supra laudato cum probabilitate quadam efficitur eam mense Novembri anni 69 in Moesiam arcessitam esse; accedit, quod nulla quantum scimus praeterea in provincia tum grave aliquod bellum gerendum erat.

At dicat quispiam Pannoniam, quae provincia ipsa quoque pars Illyrici erat[4]), tum bello flagrasse. At equidem mihi persuasi

---

[1]) cf. Tac. hist. I 76; II 86. [2]) Ib. III 35. [3]) Sunt tituli n. 94—105, quos ad Alexandri Severi potissimum aetatem pertinere infra p. 89 sq. ostendam. [4]) Tac. hist. I 76; II 86.

in Pannonia anno 69 omnino non bellatum esse. Nam quod Gallis sub finem anni 69 nuntiatum est a Sarmatis Dacisque et Moesica et Pannonica hiberna obsideri[1]), cum rumore tantum per Galliam vulgatum esse Tacitus dicat, aeque atque rumores e Britannia allati[1]) fictum esse poterat; idque fictum esse nescio an nemo neget, qui apud Tacitum legerit eas barbarorum gentes, quae Pannoniae fines attingebant, Sarmatas Iazyges sua sponte Romanis contra Vitellium proficiscentibus operam suam obtulisse[2]), Sueborum autem, gentis Romanis fidelissimae[2]), delectam manum cum Flavianis in Italiam esse profectam[3]). Praeterea vero legiones Pannonicae, 'ne inermes provinciae barbaris nationibus exponerentur', et 'principes Sarmatarum Iazygum, penes quos civitatis regimen erat', et 'Sidonem atque Italicum, reges Sueborum', obsidum loco secum in Italiam duxerant[4]). Quibus de causis mihi quidem non verisimile videtur esse barbaros Pannoniae finitimos in hanc provinciam invasisse; ceteris autem Sarmatarum gentibus Dacisque Pannoniam petentibus per Moesiam iter faciendum erat; id quod Romanorum copiis aut absentibus aut devictis facere licebat, Dacorum autem incursione a Muciano in praesens repressa[5]) factum esse nequaquam est verisimile.

Quae si respexeris, cognosces quanta cum probabilitate contendi possit legionem I Italicam iam anno 69 in Moesiam venisse.

Atque iam in promptu est novum argumentum aliunde petitum: Apparet enim eo maiores copias in Moesiam accire necesse fuisse, quo minores tum illa in provincia praesto erant. Quare disquiramus, ubi primis Vespasiani annis eae legiones tetenderint, quas aliquamdiu in Moesia versatas esse scimus.

Ac primum legio IV Scythica, quae anno 33/4 viam Danuvianam aperiebat[6]), iam anno p. Chr. n. 62 pars exercitus

1) Tac. hist. IV 54. 2) Ib. III 5. 3) Ib. III 21. 4) Ib. III 5; quod facere legiones Moesiacae omisisse videntur. 5) Ib. III 46. 6) III 1698 + p. 1024 + 13813 b; Premerstein, Jahrh. öst. arch. Inst. III Beibl. p. 150; ib. I Beibl. p. 176, qui refutavit sententiam Kanitzii (Römische Studien in Serbien, Denkschriften der Wiener Akademie 41 p. 31, 33). — Praeterea utriusque legionis nomen exstat in titulo XI 1835, de quo Domaszewski (Rhein. Mus. 45 p. 1 sqq.) egit.

Syriaci fuit[1]) atque omnibus deinde temporibus in Syria castra habuit[2]).

Legio V Macedonica deinde, quae ipsa quoque Tiberio imperante in Moesia tendebat[3]), anno p. Chr. n. 62 ad bellum Armeniacum in Asiam profecta est[4]) atque iis annis, qui in censum vocantur, bello Iudaico Vespasiano et Tito ducibus gerendo interfuit[5]). Hierosolymis captis una cum legione XV Apollinari Titum comitata est[6]). Qui Syriae finibus usque ad Euphratem fluvium peragratis rursus per totam hanc provinciam iter faciens Aegyptum petivit. Alexandriam cum advenisset, Titus Romam iam nave vecturus legiones V Macedonicam et XV Apollinarem in suas provincias remisit[7]). Alexandriam vero Titum non ante pridie Non. Maias anni 71 pervenisse Chambalu amplissima dissertatione[8]) probavit. Inde eum Romam profectum esse puto, cum auster in Italiam navigantibus faveret, qui ventus inde ab a. d. VI Id. Maias flare solebat[9]), vel, id quod mihi verisimilius videtur esse, tum demum, cum sine ullo periculo navem conscendere licebat. Quod ut sentiam, eo potissimum commoveor, quod Titus superiore anno navigationem in posterum distulerat — ut Iosephi[10]) verba afferam — *ὅτι τὸν εἰς τὴν Ἰταλίαν πλοῦν ὁ χειμὼν ἐκώλυε,* quamquam illis diebus[11])

1) Tac. ann. XV 6; 7; 26. Legionem illam quartam Syriacam legionem IV Scythicam fuisse ex eo elucet, quod et e verbis Taciti (hist. III 22) et ex inscriptione arcae in campo Bedriacensi repertae (cf. a. e. M. XV p. 185) apparet legionem quartam Vitellianam in Germania tendentem legionem IV Macedonicam fuisse. 2) Grotefend l. l. p. 879; Stille l. l. p. 47; Pfitzner l. l. p. 233 sq.; Cagnat l. l. p. 1081. 3) III 1698; XI 1835. cf. supra p. 40 adn. 6; IX 5363; Premerstein, Jahrh. öst. arch. Inst. I Beibl. p. 173. 4) Tac. ann. XV 6. 5) Ios. bell. Iud. III sqq. passim. 6) Ios. bell. Iud. VII 1, 3, 19 Niese. 7) Ios. bell. Iud. VII 5, 3, 117 Niese: *ἧκεν εἰς Ἀλεξάνδρειαν, καὶ πλεῖν ἐπὶ τῆς Ἰταλίας διεγνωκὼς δυοῖν αὐτῷ ταγμάτων συνηκολουθηκότων ἑκάτερον, ὅθενπερ ἀφῖκτο, πάλιν ἀπέστειλεν, εἰς μὲν τὴν Μυσίαν τὸ πέμπτον, εἰς Παννονίαν δὲ τὸ πεντεκαιδέκατον.* 8) Chambalu, Flaviana III, Philologus 44 (1895) p. 502 sqq., p. 517. 9) Plin. nat. hist. II 47, 123; Chambalu l. l. p. 504. 10) Ios. bell. Iud. VII 1, 3, 20 Niese. 11) Titum aliquanto ante a. d. IX Kal. Nov. Caesaream Palaestinae, ubi navem conscendere in animo habuisse videtur, advenisse puto, cum inde Caesaream Philippi profectus ibique aliquamdiu moratus atque Caesaream Palaestinae reversus hac in urbe diem natalem Domitiani fratris celebraret (Ios. bell. Iud. VII 2, 1, 23—3, 1, 38), qui

navibus in Italiam vehi, quamvis periculosum esset, attamen per tempestatem licebat. Quare cum navigantibus inde ab a. d. VI Kal. Iunias iam non tot pericula imminerent[1]), Titum tum demum navem conscendisse existimo. Quae cum ita sint, ut certum est legionem V Macedonicam priore parte mensis Maii anni 71 non iam Alexandria discessisse, ita nos a vero non aberraturos esse confido, si eam usque ad ultimos eius mensis dies ibi moratam esse suspicabimur.

Unde profecta legio quando in Moesiam pervenerit[2]), quamquam certo scire non possumus, tamen cum probabilitate quadam conicere licet. Duae enim viae legionibus domum revertentibus patebant: aut per mare aut per Syriam Asiamque proficiscendum erat. Atque si navibus in Thraciam vehi iussae essent, cum duae legiones transportandae essent, sumptus magni fuissent: quos quin Romanorum imperatores facturi fuerint, nullus ego dubito, si legiones quam celerrime in provincias Danuvianas transferri Romanorum interfuisset. Quod non est verisimile; nam primum Iosephus disertis verbis refert, ea tantum de causa legiones dimissas esse, ut domum redirent[3]). Tum mea quidem sententia Titus, si exercitum Moesiacum, quippe cui illis annis cum Sarmatis pugnandum esset, augere atque amplificare voluisset, iam auctumno anni 70, cum exercitum dimitteret 'ἦ καλῶς εἶχεν ἑκάστους ἀπιέναι'[4]), aut legionem XII Fulminatam, cui in Melitene hiberna assignavit, aut alteram earum legionum, quas se comitari iussit, in ripam Danuvianam transtulisset[5]).

---

a. d. IX Kal. Nov. natus est (X 444, Suet. Dom. 1. cf. Chambalu l. l. p. 509). Mare autem inde ab a. d. XVIII Kal. Oct. usque ad a. d. III Id. Nov. iniquum quidem, sed tamen nondum clausum fuisse Vegetius (IV 39) tradidit.

[1]) Veget. IV 39. [2]) Hac de re copiosius disseram, cum nesciam, an inde fructus capiatur quaestione de re militari provinciae Moesiae instituta. cf. infra p. 56 sqq.; append. V. [3]) Ios. bell. Iud. VIII 5, 3, 117: ὅθενπερ ἀφῖκτο, πάλιν ἀπέστειλεν. [4]) Ios. l. l. VII 1, 3, 17 Niese. [5]) Mirum enim esset, si nuntius de clade Fontei Agrippae eo vestigio temporis Tito allatus esset, cum navem conscendit. Sin Titus hieme anni 70/71 hunc nuntium accepisset, nihil, opinor, obstitisset, quominus unam vel alteram trium illarum legionum statim auxilio mitteret. Sin autem, id quod verisimillimum esse in appendice V ostendam, Fonteius Agrippa iam hieme anni 69/70 a Sarmatis victus est, Titus legiones, si opus esse putasset, Hierosolymis captis statim in Moesiam delegasset.

Cum igitur legiones victrices nulla alia de causa illis provinciis attribuerentur, nisi ut in solita hiberna redirent, neque, quoniam novum munus non suscepturae erant, necesse esset eas quam celerrime reverti, mihi quidem verisimilius videtur esse has legiones itinere terrestri pedestribus copiis aptissimo profectas esse, praesertim cum sic milites a periculis iis, quae navigantibus imminent, tuti essent.

Qui autem ex Aegypto per Syriam Asiamque iter facturi erant, eos illa potissimum via usos esse existimo, quam, si tabulam, in qua orbis terrarum depingitur, inspicies, primo oculorum obtutu brevissimam esse cognosces quamque Romanorum aetate viam frequentissimam fuisse ex Itinerario Antonini colligendum est. Hanc viam si legiones V Macedonica et XV Apollinaris ingressae sunt, iis Alexandria per oram maritimam Aegypti, Palaestinae, Syriae Antiochiam atque inde per Tyana, Ancyram, Nicomediam Byzantium usque proficiscentibus 1604 mp.[1]) conficienda erant. Ab urbe Byzantio legio V Macedonica tribus[2]) viis ad ripam Danuvianam pervenire poterat; quarum qua usa sit, cum probabilitate quadam contendi nequit, cum adhuc ignoremus, quo loco aetate Flaviorum castra posuerit. Quare has omnes respiciendas esse arbitror. Atque emetienda erant, si legio via illa frequentissima Viminacium usque profecta est[3]), 618[4]) milia passuum, si Philippopoli Oescum

---

[1]) cf. append. IIIa. [2]) Quartam viam, quae est per Marcianopolim Durostorum usque, non in censum vocandam esse puto, cum et Marcianopolis a Traiano demum condita sit (Amm. 27, 4. Iordan. Get. 16, 93) neque Durostori ante Ptolemaeum mentio fiat. Troesmin autem legionem iter direxisse haud ita verisimile esse concedo, quia Vespasiani quoque temporibus legiones Moesiacas in ea tantum regione castra posuisse, quae est inter Margum et Utum fluvios, viri docti coniecerunt (Mommsen, R. G. V p. 195, 207; Domaszewski, Neue Heidelberger Jahrbücher I p. 198; idem, Rhein. Mus. 48 p. 240; Premerstein, Jahrh. öst. arch. Inst. I Beibl. p. 177). Attamen, cum haec sententia adhuc certis argumentis fulciri non possit cumque Troesmis iam ab Ovidio (ex Ponto 4, 9, 79) commemoretur, huius quoque viae, nequid desideretur, rationem habeo. [3]) Qua via legioni XV Apollinari utendum erat, cum Carnuntum eam petivisse probabile sit, quoniam ibi anno 73 castra nova munivit (III 11 194—11 196; cf. a. e. M. 16 p. 206; Der römische Limes in Österreich, Heft II p. 150 sq. Wien 1901). [4]) cf. append. IIIb.

deflexit[1], 430 fere mp.[2], si per oram Ponti Euxini ripamque Danuvii Troesmin, ubi Hadriani temporibus tendebat[3], iter fecit, 550 fere mp.[4] Summa igitur totius itineris aut 2222 aut circiter 2034 aut 2154 fere mp. erat. Milites autem Romani intra fines imperii, ubi viis militaribus uti poterant, plus minusve vicena in dies milia passuum i. e. tricena fere chilometra emetiri solebant[5]. Itaque ad illud iter conficiendum aut 111 aut 102 aut 108 diebus opus erat. Quos numeros quodammodo corrigere possumus, si mansiones civitatesque, per quas iter faciendum erat, respicimus. Nam tum quoque milites in mansionibus ipsis pernoctasse, id quod tertio et quarto p. Chr. n. saeculo factum esse Lampridius, Ambrosius, Vegetius[6] testantur, elucet ex eo, quod Titus ad Hierosolyma expugnanda cum duobus milibus militum Alexandria profectus iis tantum locis consedit, quae in Itinerario Antonini enumerantur, neque unum praeteriit excepto Pentaschino in deserta regione sito[7]. Sunt autem in Itinerario Antonini inter Alexandriam et Byzantium 74 mansiones[8] (praeter Chalcedonem, quae civitas mari tantum a Byzantio dirimitur), inter Byzantium et Philippopolim 15[9], inter

[1] Hanc viam iam ante Vespasiani aetatem munitam esse e lapide III 6123 cognoscitur; quo e titulo praeterea elucet inter Viminacium et Byzantium iam ante annum p. Chr. n. 61 viam esse apertam, cum verisimile sit hanc viam principalem ante illam viam transversam esse aedificatam. [2] cf. append. IIIc. [3] CIL III 6166 cf. p. 999. [4] cf. append. IIId. [5] Franz Stolle, Wo schlug Cäsar den Ariovist? Straßburg 1899 p. 32sqq., qui cum alia affert tum hoc: Spart. vit. Hadriani 10, 4: '⟨Hadrianus⟩ exemplo etiam virtutis suae ceteros adhortatus cum etiam vicena milia pedibus armatus ambularet'. Quocum loco conferendum est testimonium Vegetii I 9 atque I 27: 'Augusti atque Hadriani constitutionibus praecavetur, ut ter mense tam equites quam pedites educantur ambulatum. . . . Decem milia passuum armati instructique omnibus telis pedites militari gradu ire ac redire iubebantur in castra'. Admonendum est etiam anno p. Chr. n. 69 Antonium Primum, cum Verona Cremonam contenderet, idem fere spatium in dies emensum esse; tribus enim diebus (Tac. hist. III 15—18) 63 mp. (sec. tab. Kiepertianam CIL V adnexam) confecit. [6] Lampridius vita Alex. Sev. 45, 2; Ambrosius, exposit. in psalmum 118 serm. V 2; Veget. III 8. Hos quoque locos e Stollii dissertatione petivi. [7] Ios. bell. Iud. IV 11, 5, 659sqq. Niese = Hegesippus, qui vocatur, de excidio urbis Hieros. IV 33 p. 273 Weber. [8] cf. append. IIIa. [9] cf. append. IIIb.

Philippopolim et Viminacium 14 mansiones. Quare verisimillimum est legionem V Macedonicam Viminacium usque 103, Oescum usque 96[1], Troesmin usque 101[2] dies in ambulando consumpsisse. Huc addendi sunt ei dies, quibus milites, ut vires reficerent, iter intermittere necesse erat. Atque probabile esse quarto quoque die milites Romanos quiescere consuevisse Stolle[3] conclusit et e verbis Ambrosii[4] (triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die) et ex eo, quod Iosephus[5] memoriae prodidit milites Romanos tridui frumentum secum portare solitos esse. Quam consuetudinem illis ipsis, de quibus agitur, temporibus viguisse cum e loco Iosephi modo laudato tum ex eo intellegitur, quod Titus[6] Alexandria profectus, postquam per tres dies iter fecit, Pelusii requievit, neque in eo est haerendum, quod Titus, si Iosephi verba premeremus, Pelusio novem continuis diebus Caesaream contendisse videretur[7]: facillime enim fieri poterat, ut Iosephus eum Pelusii iter intermisisse propterea tantum disertis verbis traderet, quod per duos dies ibi manserat, cetera autem loca, ubi, ut mos erat Romanorum, unum tantum diem moratus est, enumerare supersederet. Quae cum ita sint, aut 34 aut 31 aut 33 dies adiciendi sunt; quo facto aut 137 aut 127 aut 134 dies efficiuntur. Ergo legionem V Macedonicam, si eam a. d. V Id. Maias anni 71 Alexandria discessisse putamus, non ante a. d. aut VIII aut XVIII aut XI Kal. Oct. anni 71, sin autem, id quod probabilius est, a. d. V Kal. Iun. profecta est, non ante aut a. d. V Id. aut Kal. aut a. d. VIII Id. Oct. anni 71 ad ripam Danuvianam pervenisse statuendum est[8].

Ceterum admonendum est hanc legionem, etiamsi navibus usque ad Thraciae oram vecta est, id quod mihi quidem haud ita

[1] 89 mansiones + 132 fere mp. [2] 74 mansiones + 550 fere mp. [3] l. l. p. 32sq. [4] exposit. in psalmum 118 serm. V 2. [5] Ios. bell. Iud. III 5, 5, 95 Niese. [6] Ios. bell. Iud. IV 11, 5, 659sqq. Niese. [7] Cave argumentum petas e verbis Hegesippi, qui vocatur (IV 33 p. 273 Weber), scribentis: 'exceperunt etiam Rhinocorii exercitum progredientem non sine grata refectione'. Vehementer enim est verendum, ne auctor nihil in animo habuerit nisi illud Iosephi (l. l.) *ἀναπαύεται (μετὰ ταῦτα πρὸς Ῥινοκουρούροις ἀναπαύεται)* pluribus verbis explicare. [8] Revera autem eam paulo post eo advenisse puto, cum fieri posset, ut hac illave in civitate plus unum diem moraretur; cf. Ambros. l. l.: 'Eliguntur civitates, in quibus triduum, quatriduum et plures interponantur dies'.

probabile videtur esse, tribus tantum mensibus ante ad Danuvium flumen pervenire potuisse: nam qui secundo vento usus est, eum octo fere diebus navi oneraria ex Aegypto in Thraciam vehi potuisse mihi persuasi, quod Diodorus [1]) memoriae prodidit Rhodo, quae insula media fere intercedit inter has terras, quattuor diebus Alexandriam navigari. Huc duo saltem dies [2]) addendi sunt, quibus milites naves conscenderunt et in terram exierunt: eis adiectis decem dies efficiuntur. Tum ab ostio Hebri fluminis, quo naves appelli potuerunt, per Hadrianopolim (vel potius Uscudama) Philippopolimque proficiscentibus Viminacium usque 537 mp., Oescum usque 349 fere mp. emetienda erant [3]), ita ut aut 24 [4]) aut 17 [5]) dies milites ambulare atque 7 aut 5 dies quiescere necesse esset. Cum igitur ad totum iter conficiendum aut 41 aut 32 diebus opus fuerit, sequitur, ut legio V Macedonica, si a. d. V Id. Maias naves conscendit, non ante aut a. d. XII Kal. Iul. aut a. d. III Id. Iun., sin a. d. V Kal. Iun. iter ingressa est, non ante aut Non. aut a. d. IV Kal. Iul. anni 71 Danuvium attigerit.


Troesmin autem si legio iter direxit, usque ad ostia Danuvii 13 diebus eam navigasse propter Diodori locum modo laudatum probabile est: Quibus duo saltem adiciendi sunt. Inde Troesmin usque 103 [6]) mp. conficientibus 6 [7]) diebus opus erat: itaque legio post 21 demum dies i. e. non ante prid. Kal. Iun. vel a. d. XV Kal. Iul. anni 71 Troesmin advenire potuit.

Quae cum ita sint, apparet neque legionem IV Scythicam neque legionem V Macedonicam primis Vespasiani annis in Moesia versatam esse.

[1]) Diod. III 34, 7. [2]) Si modo numerus satis magnus navium idonearum praesto erat. [3]) Traianopoli Hadrianopolim 85 mp. sec. Itin. Ant. 322, 1—8; Hadrianopoli Philippopolim 132 mp. sec. Itin. Ant. 136, 5—137, 3; Philippopoli Viminacium 320 mp. sec. Itin. Ant. 134, 1—136, 4; Philippopoli Oescum 132 mp. sec. tab. Kiepert. Quid praeterea monendum sit, invenies in appendice III b et c. [4]) 24 mansiones enumerantur; si milites cotidie 20 mp. confecisse putamus, 27 dies colliguntur. [5]) 10 mansiones + 132 fere mp. [6]) A vico ad Stoma Salsoviam 24 mp. sec. tab. Peut.; Salsovia Troesmin 79 mp. sec. Itin. Ant. 225, 4—226, 3 (76 mp. sec. tab. Peut.). [7]) In Itin. Ant. 6 mansiones commemorantur, e quibus unam a copiis praetermissam esse verisimile est, cum illo loco (p. 225, 4—5) 18 tantum mp. inter tres mansiones intersint. Quinque igitur dies milites in itinere erant, unum diem intermiserunt.

Initio anni p. Chr. n. 69 in Moesia castra habuerunt tres legiones [1]): legio III Gallica, quae 'sub exitu Neronis' eo translata erat [2]), legio VIII Augusta, quam pro legione IV Scythica in Moesiam accitam esse suspicari licet [3]) ibique iam anno p. Chr. n. 46 tetendisse verisimile est [4]), legio VII Claudia, quae quando in Moesiam venerit, adhuc non satis constat [5]).

Quae legiones anno 69 in partes Vespasiani transierunt [6]) atque legionibus Pannonicis adiunctis [7]) in Italiam profectae [8]) Antonio Primo duce Vitellianos fuderunt atque fugaverunt [9]). Italia subacta legio III Gallica Capuam in hiberna est deducta [10]), sed iam mense Ianuario [11]) anni 70 a Muciano in Syriam, qua in provincia usque ad extremos Neronis annos tetenderat, redire iussa est ibique in posterum stativa habuit [12]). Legio autem VIII Augusta in numero earum legionum victricium erat, quas Mucianus non multo post [13]) in Germaniam misit [14]), ubi omnibus deinde temporibus collocata est [15]).

Legio vero VII Claudia quid illo vestigio temporis gesserit, quamquam non inter omnes constat, tamen verisimillimum est eam ipsam quoque a Muciano in Germaniam esse translatam. Nam Pfitzner [16]), cuius sententiam novis argumentis allatis Ritterling [17]) probat, ostendit in Taciti historiarum libri IV^i capite 68 in notis illis, quae in codice Mediceo leguntur (legiones victrices  . . . Alpibus . . . traducuntur), nomina legionum VII Cl(audiae), XI (Claudiae), VIII (Augustae) latere. Quod mihi quoque magis placet quam id, quod Mommsen [18]) nulla adiecta argumentatione

[1]) Tac. hist. I 79; II 85. [2]) Suet. Vesp. 6. [3]) Domaszewski, Rhein. Mus. 47 (1892) p. 211 adn. 2. [4]) Mommsen, Eph. epigr. II p. 259 adn. 2. [5]) Domaszewski, l. l. p. 213, coniecit eam Neronis aetate propter expeditionem Plauti Silvani (CIL XIV 3608) eo translatam esse; certum est eam legioni V Macedonicae in Orientem abductae non statim successisse, quoniam Plautius Silvanus hostes vicerat, 'quamvis parte(m) magna(m) exercitus in Armeniam misisset'. [6]) Tac. hist. II 85. [7]) Ib. II 85; 86. [8]) Ib. III 9, 10. [9]) Ib. III 21 sqq. [10]) Ib. IV 3. [11]) Ib. IV 39, quo in capite quod primum narratur, Kal. Ian. factum est. [12]) Grotefend l. l. p. 877; (Stille l. l. p. 42); Pfitzner l. l. p. 230; Cagnat l. l. p. 1080. [13]) Tac. hist. IV 39. [14]) Ib. IV 68. [15]) Grotefend l. l. p. 887 sq; (Stille l. l. p. 76); Pfitzner l. l. p. 246; Cagnat l. l. p. 1084. [16]) l. l. p. 66 sq. [17]) Ritterling, Zur römischen Legionsgeschichte am Rhein, WDZ 12 (1893) p. 110 sqq. [18]) Hermes XIX (1884) p. 440 adn. 1.

proposuit: legendum esse VIII, XI, XIII[1]). Mommseno enim si assentiremur, non solum ultima linea illius „**vim**" prorsus neglegenda, sed etiam tertius numerus quamvis certus immutandus esset. Praeterea autem non intellegitur, quo factum sit, ut codicis scriba hunc in errorem incideret; contra facillime fieri potuisse confido, ut pro **uncl** compendio utpote raro neque facili intellectu, vocabulum usitatissimum **um** legeretur.

Quae interpretatio si recta est, efficitur, ut etiam trium earum legionum, quae initio anni 69 in Moesia castra habuerant, nulla anno 69 exeunte annoque 70 ibi versata sit[2]).

Quibus legionibus autumno anni 69 deductis cum Daci in Moesiam invasissent, Mucianus iis legionem VI Ferratam opposuit[3]), quam secum e Syria adduxerat[4]). Hanc legionem in Moesia remansisse neque cum Muciano Romam profectam esse Ritterling[5]) putat. At mihi quidem verisimilius videtur eam Mucianum Romam usque comitatam esse[6]): prudentis enim imperatoris erat bello civili coorto nemini vitam suam committere nisi quem sibi deditum esse cognoverat, neque sine praesidio satis firmo in Italiam bello flagrantem se immittere. Nam etiamsi Vitelliani iam non timendi erant, Muciano cavendum erat, ne Antonius Primus in se item animadverteret atque in duos illos viros consulares, Tampium Flavianum et Aponium Saturninum, qui ut imperium deponere cogerentur, Antonium militum seditionem concitasse fama erat[7]). Atque eo maiore cautione opus

---

[1]) Nullam legionem in censum vocandam esse nisi aut VII Claudiam aut XIII Geminam iam Ritterling l. l. p. 110 adn. 18 admonuit: nam legionis VI Ferratae, quam Savilius in textum recepit, rationem haberi non posse mihi persuasi, non quo consentiam cum Ritterlingio putante illam legionem omnino non in Italiam venisse (cf. infra p. 48sqq.), sed quia tum nota **m** neglegitur. [2]) Posteris temporibus (iam primo saeculo exeunte vel ineunte altero sec. inscriptionem III 14514 = Jahrh. öst. arch. Inst. IV Beibl. p. 107 n. 12) legionem VII Claudiam in Moesia iterum collocatam esse constat; quando autem eo reverterit, adhuc pro certo affirmari nequit; quamquam non sine aliqua veritatis specie coniecit Ritterling (WDZ 12 p. 112) eam Fonteio Agrippa occiso eo missam esse (cf. infra p. 57). [3]) Tac. hist. III 46. [4]) Ib. II 83. [5]) WDZ 12 p. 110 adn. 18. [6]) Idem sentit Pfitzner (l. l. p. 62, p. 241) uno loco Iosephi infra laudato nisus. [7]) Tac. hist. III 10; 11.

erat, cum tantae simultates Muciano cum Antonio intercederent, ut litteris ad Vespasianum datis alter alteri obtrectaret[1]) utque Antonius neglegeret, quae ille, ut summus dux, imperaverat[2]). Accedebat, quod Antonius unus omnium Pannonicis Moesicisque militibus gratus acceptusque erat[3]), Mucianus ipse autem utrique illi exercitui — excepta fortasse legione III Gallica[4]) — prorsus ignotus. Quare si seditio militum orta esset, quamquam nonnullos legatos legionum Muciano fidos esse constabat[5]), tamen periculum fuisset, ne omnes milites illorum exercituum ab Antonio starent. Itaque Muciani intererat copias quam maximas sibi deditas secum in Italiam ducere. Cum autem quinque vel sex[6]) Antonii legionibus auxiliisque unam tantum legionem, VI Ferratam, tredecimque milia vexillariorum[7]) opponere posset, mihi quidem probabilius videtur eum totum suum exercitum adduxisse.

Qua cum sententia optime congruunt verba Iosephi[8]): *Μουκιανὸς εἴσεισι ⟨εἰς Ῥώμην⟩ μετὰ τῆς στρατιᾶς*, quo loco nescio an ex articulo apposito[9]) effici possit, ut Mucianus non solum cum exercitu („mit Heeresmacht" vernacula lingua diceremus) Romam intraverit, sed cum eo ipso exercitu, quem e Syria accierat.

Ceterum Mucianum quam firmissimo praesidio se munivisse[10]) fortasse etiam ex eo concludi potest, quod Antonius in eum nihil audacius militum studio populique favore fretus committere ausus est[11]), quamquam ille omni modo vim auctoritatemque eius frangere studebat.

---

[1]) Tac. hist. III 52; 53; IV 80; cf. IV 11. [2]) Tac. hist. III 53: obsequii insolens; III 78 praepostero obsequio crimen meruit; cf. III 8. [3]) Tac. hist. III 10: uni Antonio apertae militum aures; namque et facundia aderat mulcendique vulgum artes et auctoritas; III 11 uni Antonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus collegis et obversis militum studiis; IV 39 clarus militum studiis; IV 80. [4]) Tac. hist. II 74 'tertiam legionem .... (Mucianus) suam numerabat'. [5]) Tac. hist. III 52. [6]) Legiones VII Galbiana, XIII Gemina (Tac. II 86; III 7; 21; 27), VII Claudia, VIII Augusta, III Gallica (ib. II 85; III 9; 10; 21; 27), XI Claudia (ib. III 50), e quibus unam legionem III Gallicam sub Muciani imperio fuisse suspicari licet. [7]) Tac. hist. II 83. [8]) Ios. bell. Iud. IV 11, 4, 654 Niese. [9]) cf. Kühner-Blaß, Griech. Grammatik II² p. 593 § 461, 2. [10]) Tac. hist. IV 11 'stipatus armatis'; quos ex Antonii militibus eligere dementis fuisset, cum Antonium ipsum pertimesceret. [11]) Eum 'Scribonianum Crassum ad capessendam

At dicat quispiam Muciano verendum fuisse, ne Daci modo fugati, si denuo in Moesiam invaderent, inermem provinciam vastarent. At non verisimile fuisse puto illos iam proximis diebus incursionem redintegraturos esse, praesertim cum victorem exercitum haud ita longe abesse statimque reverti posse iis putandum esset; brevi autem tempore Vitelliani, quos ad Danuvium defendendum Mucianus accurrere iussit [1]), adesse poterant. Nam probabile est eos ab Antonio in Illyricum missos [2]) iam initio mensis Novembris eo profectos esse [3]), antequam Muciani iussa acceperunt. Cum autem Moesiae fines a Cremona circiter 665 mp. [4]) distarent, iam 30 [5])

---

rem publicam hortatum esse' (Tac. hist. IV 39) vanus rumor fuisse videtur; nam si hoc verum fuisset, nullus ego dubito, quin Mucianus, ut erat odio inflammatus, statim ad Vespasianum scripturus fuerit illum ab eo defecisse novasque res moliri; quo nuntio allato futurum fuisse certum est, ut Antonius non tam comiter a Vespasiano exciperetur, ut Tac. hist. IV 80 tradidit.

[1]) Tac. hist. III 46. [2]) Ib. III 35. [3]) Velim haec tecum reputes: Cremona expugnata 'adsidere sepultae urbis ruinis noxia tabo humus haud diu permisit' (Tac. hist. III 35). Per quatriduum autem Cremona diripiebatur atque igni consumebatur (ib. III 33). Atqui iam quarto die corpora hominum mortuorum tabescunt atque foetescunt (cf. ev. sec. Ioh. 11, 39: *ἤδη ὄζει· τεταρταῖος γάρ ἐστιν*; quae verba cum dicta sint, antequam sepulcrum Lazari aperiretur, pro sententia ab omnibus concessa accipienda esse videntur). Quare equidem puto Antonianos iam quarto vel quinto die i. e. a. d. III vel pridie Non. Nov. 'ad tertium lapidem progressos' esse (Tac. hist. III 35), praesertim cum Cremona solo aequata nihil esset, cur ibi morarentur. 'Ad tertium lapidem progressi vagos paventesque Vitellianos sua quemque apud signa componunt' atque in Illyricum dimittunt: quod pridie vel Non. Nov. fieri potuisse facile concedes neque multo post factum esse verisimile est, cum Antonii interesset illos quam celerrime ex Italia discedere, ne consilia communicarent cum copiis iis, quae aut per Apenninum aut per Raetiam appropinquare putabantur (Tac. hist. III 35; cf. III 41 sq. + 50; III 5; 8). — Ab altera parte Mucianus de victoria Cremonensi certior fieri non potuit ante Non. Nov. (cf. append. IV). Iussa eius, cum speculatores $4^3/_4$ dies in itinere essent, non ante noctem, quae a. d. V Id. Nov. sequebatur, i. e. post decem demum dies Cremonam deferri potuerunt. [4]) cf. append. III e. [5]) Aut 3 castra (Tac. hist. III 15 + 19) + 24 mansiones (neglecto Taurnno, quod 4 tantum mp. a Singiduno abest neque in Itin. Hieros. commemoratur), aut 3 castra + 23 mansiones aut 3 castra + 58 mp. + 20 mansiones (26 enim mp. quae sunt inter Ulmum et Sirmium uno die confici potuerunt;

fere diebus, postquam profecti erant, i. e. iam initio mensis Decembris in hanc provinciam pervenire potuerunt, ita ut, cum mense Novembri Daci victi essent [1]), Moesia minus unum mensem satis firmo praesidio careret. Accedebat, quod priore illius temporis parte, si Dacos iterum irrupisse nuntiatum esset, Mucianus ipse, altera parte Vitelliani minus 15 diebus advolare potuissent. Quare nihil obstare videtur, quominus legionem VI Ferratam Dacis devictis Mucianum Romam usque comitatam esse censeamus.

Concedendum est nos prorsus nescire, quid haec legio usque ad annum 73 gesserit; sed hac e re nihil effici posse confido, cum etiam legio XIII Gemina, quam in Italiam pervenisse certum est [2]), post pugnam Cremonensem a Tacito non commemoretur. Ceterum eam iam aliquanto antequam anno p. Chr. n. 73 Antiochum, regem Commagenorum, debellavit [3]), in Syriam redisse e Iosephi verbis elucet; quare probabile est eam a Muciano, cum initio anni 70 legiones ex Italia dimitteret [4]), in suam provinciam remissam esse.

Restat, ut quaeramus, ubi annis 69 et 70 eae legiones versatae sint, quas postea praeter legiones V Macedonicam, VII Claudiam copiasque Vitellianas in Moesia castra habuisse constat [5]).

Atque legio XI Claudia autumno anni 69 e Dalmatia in Italiam profecta [6]), initio anni 70 a Muciano ad Batavorum seditionem sedandam in Germaniam missa est [7]) ibique certe usque ad

---

cf. Itin. Ant. 131, 3—4) aut 3 castra + 170 mp. + 14 mansiones. Quare 24—27 dies milites ambulasse, 7—8 requievisse suspicari licet, nisi, cum festinare opus esset, iter continuabant.

[1]) cf. append. IV. Quam si legeris, simul cognosces per temporis quoque spatium putare licere Mucianum cum exercitu suo Romam contendisse. [2]) Tac. hist. III 7; 21; 27. [3]) Ios. bell. Iud. VII 7, 1, 225 Niese: *ὁ Παῖτος . . . εἰς τὴν Κομμαγηνὴν ἐνέβαλεν, τῶν μὲν ταγμάτων ἄγων τὸ ἕκτον καὶ πρὸς τούτῳ λόχους καί τινας ἴλας ἱππέων.* [4]) Tac. hist. IV, 39; 68. [5]) Quae legiones ad bella Dacica Sarmaticaque arcessitae bellis confectis in provincias suas reverterint, enumerare supersedeo. Quod autem Sehmsdorf (Die Germanen in den Balkanländern, Leipzig 1899, p. 62), Pfitznerum (l. l. p. 77 sq., p. 219), opinor, secutus contendit legionem I Adiutricem inter annos 86 et 91 in Moesia inferiore fuisse, a vero abhorrere nemo neget, qui aut locum Suetonianum (Dom. 7) a Pfitznero laudatum inspexerit aut Jünemanni dissertationem (p. 40 sqq., 65 sqq.) legerit. [6]) Tac. hist. III 50. [7]) Ib. IV 68.

aetatem Traiani[1]), fortasse usque ad alterum bellum Dacicum huius imperatoris[2]) morata est.

Legio autem II Adiutrix, quam ab anno 87 ad annum 120 p. Chr. n. in Moesia superiore tetendisse probabile est[3]), ipsa quoque ad Batavorum seditionem compescendam delegata est[4]); qua compressa in Britanniam translata est[5]).

Una restat legio IV Flavia. Hanc legionem item atque legionem XVI Flaviam pro legionibus a Vespasiano in Germania exauctoratis[6]) conditam esse inter omnes constat, praesertim cum eam ad Vitellium debellandum non conscriptam esse certum sit, quoniam a Tacito nunquam commemoratur[7]). Itaque cum illae legiones initio demum anni 70 pro imperio Gallorum iurarent[8]), consentaneum est legionem IV Flaviam non iam anno 69 exstitisse neque eam creatam esse arbitror, antequam Batavorum seditione profligata Germaniarum res denuo constitutae sunt. Praeterea probabile est eam aetate Flaviorum in Dalmatia castra habuisse: Nuperrime enim illa in provincia sex tegulae legionis IV Flaviae repertae sunt[9]), e quibus una ad sepulcrum quoddam faciendum adhibita erat. Quod sepulcrum cum sex tantum metra a media porta Traiani Asseriae exstructa situm esset, si eodem tempore atque ille arcus exstitisset, per portam proficiscentibus obiacuisset atque moram fecisset. Quare necesse est sepulcrum illud factum esse, antequam porta aedificata est; sequitur ut legio IV Flavia ante illud tempus in Dalmatia tegulas coxerit[10]). Cum praeterea Burni titulus[11]) aquiliferi

1) Bramb. CIRhen. 1666. 2) van de Weerd, Contribution à l'histoire des légions Romaines, Musée Belge 1900 p. 46—54. 3) Gündel l. l. p. 41—45, 45—47. 4) Tac. hist. IV 68; Gündel l. l. p. 23. 5) Gündel l. l. p. 26—29. 6) velim conferas quae dixi p. 9 adn. 6. 7) In Taciti verbis a Pfitznero (l. l. p. 62, 234) laudatis (hist. IV 68: e recens conscriptis secunda . .) legionis IV Flaviae rationem habitam esse non necesse est; immo illum locum ad legiones I et II Adiutrices et VII Galbianam spectare puto. 8) Quod facile colligi potest e Tac. hist. IV 36sq.; 39; 54—62. 9) Patsch, Mitteilungen des deutschen archäol. Instituts, römische Abteilung, IX (1894) p. 233sqq.; Patsch, Wissenschaftliche Mitteilungen aus Bosnien und der Herzegovina VII (1900) p. 79sqq.; Bersa, Bulletino di archeologia e storia Dalmata XXIII (1900) p. 164sqq.; cf. CIL III 14021 + 15110. 10) Bersa l. l. 11) Nuperrime publici iuris factus: III 14995: P. Carsidi|o . P . f . Gal | Calvo Lugd | aquilifero | leg IIII F f ann | XLI stip XIIX | h s e

cuiusdam legionis IV Flaviae in lucem prodierit, suo iure Patsch conicit[1]) cum aquila totam legionem illo tempore in Dalmatia versatam esse. Atque cum Burni, ubi ille aquilifer vitam degit, usque ad annum 69 praetorium legionis XI Claudiae collocatum esse constet[2]), verisimillimum est legionem IV Flaviam, ubi primum condita est, statim legioni XI Claudiae successisse: nam aetate Flaviorum nihil erat, cur Dalmatiae, si per aliquantum temporis spatium legionibus vacasset, denuo legionem attribui necesse fuisset. Titulis vero legionis IV Flaviae, quos collegi, haec sententia non refutatur.

Quae cum ita sint, apparet hanc quoque legionem iis, qui in censum veniunt, annis non iam in Moesia fuisse; eam sub finem primi saeculi ibi moratam esse e litterarum forma inscriptionis cuiusdam Viminacii repertae[3]) colligi potest. Quando autem eo pervenerit, adhuc a viris doctis nondum enucleatum esse puto: Nam e titulo L. Aconii Staturae[4]) certum argumentum elici nequit, cum dignosci non possit, Aconius utrum in legione IV Flavia an alia in legione stipendia meruerit, cum bellum Suebicum et Sarmaticum Domitiano imperante gereretur[5]). Quod autem Pfitzner contendit eum iam Vespasiani aetate contra Sarmatas pugnasse, vereor ne prorsus reiciendum sit, quia Statura, si iam illis annis centurio legionis IV Flaviae fuisset, plus triginta annos centurionatu functus neque missus neque primus pilus factus esset atque, cum ab infimo ordine ad centurionatum provectus esse videatur — equum enim publicum a Traiano demum accepit — plus sexaginta[6]) annos natus

1) Wissenschaftl. Mitt. aus Bosnien, l. l. 2) CIL III p. 282. 3) III 14511 = Jahrh. öster. arch. Inst. IV Beibl. p. 103sqq. n. 10. 4) XI 5992: L . Aconio . L . f . Clu(stumina) | Staturae | 7 . leg . XI . C . p . f . leg . IIII . F . f . leg | V . Maced . leg . VII . C . p . f . doni(s) | donato . ab . imp . Traiano | Aug . Germ . ob bellum . Dacic | torquib . armill . phaleris | corona . vallar . et . a priorib | principibus . eisdem donis | donato . [ob b]ellum Ge[r]ma | et . Sarmatic . a Divo Traiano | ex . militia . in equestrem | dignitatem . translato | Arimini pontif . quinq | etc.; quo titulo pro fundamento utitur Pfitzner l. l. p. 75sq., 235. 5) cf. Gsell, Essai sur le règne de l'empereur Domitien p. 227 adn. 5. 6) 'Milites plerumque decem vel quindecim stipendiis meritis ad centurionatum successisse' centurionum titulis collatis docuit W. Baehr, de centurionibus legionariis p. 4.

bello Dacico a Traiano gesto centurio interfuisset atque inter ceteros fortitudine[1]) praestitisset. Praeterea illud 'bellum Germa et. Sarmatic.' ad unum tantum bellum spectare praeter Pfitznerum neminem esse arbitror qui neget. — Ac ne id quidem, quod Premerstein[2]) protulit legionem IV Flaviam, priusquam Moesia in duas provincias divisa est, eo venisse, satis stabilitum esse puto. Nam primum ex eo, quod utriusque provinciae legatus vir consularis erat, colligi non potest binas legiones ibi tetendisse: Dalmatiam enim eo tempore, cum una tantum vel nulla omnino legione tenebatur, regebant hi viri consulares: M. Pompeius Silvanus anno 69[3]), L. Funisulanus Vettonianus sub Domitiano[4]), Fulvius Maximus[5]), Cassius Dio Cocceianus (?)[6]); Hispaniam Tarraconensem a sola legione VII Gemina occupatam M. Nummius Umbrius Primus Senecio Albinus[7]); Pontum et Bithyniam, provinciam inermem, praeter Plinium C. Iulius Cornutus Tertullus[8]), L. Lollianus Avitus[9]), M. Didius Severus Iulianus (?)[10]), L. Fabius Cilo Septiminus Catinius Acilianus Lepidus Fulcinianus[11]). Accedit, quod suspicari licet iam priusquam legio IV Flavia in Moesiam translata est, quattuor ibi legiones castra habuisse[12]): V Macedonicam[13]), VII Claudiam[14]), I Italicam, V Alaudae, quae anno 69 ipsa quoque pars Vitelliani exercitus erat, quamque anno 92 a Sarmatis, gente huic provinciae finitima, concisam esse Trommsdorff[15]) probat.

---

[1]) Aconius cum aliis donis, tum corona vallari donatus est. [2]) Jahrh. öst. arch. Inst. IV Beibl. p. 105. [3]) Liebenam, Verwaltungsgeschichte des römischen Kaiserreichs I p. 158 n. 11; Prosopographia Romana III p. 71 P 495. [4]) Liebenam l. l. p. 159 n. 12; Prosop. II p. 99 F 396; Domaszewski, a. e. M. XX p. 11 n. 17 cf. p. 12 adn. 25. [5]) Liebenam l. l. p. 161 n. 15; Prosop. II p. 95 F 375. [6]) Liebenam l. l. p. 163 n. 19; Prosop. I p. 313 C 419. [7]) Liebenam l. l. p. 230 n. 18; p. 25 n. 18; Prosop. II p. 421 N 189. [8]) Liebenam l. l. p. 348 n. 6; p. 39 n. 7; Prosop. II p. 188 I 187. [9]) Prosop. II p. 293 L 222; Sitzungsber. Berlin. Akad. 1888 p. 875. [10]) Liebenam l. l. p. 350 n. 12; p. 77 n. 10; Prosop. II p. 11 D 68. [11]) Liebenam l. l. p. 351 n. 15; p. 179 n. 23; Prosop. II p. 45 F 20. — De Pannonia inferiore verba fecit Domaszewski, Mus. Rhen. 45 p. 207 sq. [12]) cf. infra p. 57. [13]) cf. supra p. 41 sqq. [14]) cf. supra p. 48 adn. 2. [15]) l. l. p. 69—85. Ex eo, quod haec legio a Sarmatis trucidata est, non efficitur, opinor, eam in Pannonia stativa habuisse, quam provinciam Suebi maximaque pars Sarmatarum Iazygum attingebant. Nam ad bellum Suebicum et

Sed quid hoc e conspectu legionum lucramur? Videmus aetate Claudiorum duas legiones in Moesia tetendisse (legg. V Mac. et IV Scyth. vel V Mac. et VIII Aug. vel VIII Aug. et VII Claud.); quae cum non sufficerent[1]), a Nerone tertia legio accita est: itaque initio anni 69 tres legiones (VIII Aug., VII Claud., III Gall.) ibi versatae sunt. Sub finem autem primi saeculi quattuor illas legiones, quas de legione IV Flavia disserens modo laudavi, ibi collocatas esse probabile est; secundo vero saeculo quinque legiones (I Ital., V Mac., VII Claud., IV Flav., II Adiutr. vel XI Claud.) ibi moratas esse certum est. Contra mense Novembri anni 69 nulla omnino legio illi provinciae praesidio fuisse videtur. Quae cum ita sint, nonne verisimile est Mucianum illo mense provinciae antea a tribus legionibus occupatae tres[2]), si suppetebant, legiones attribuisse? Vitellianus autem exercitus, cuius partem Mucianus in Moesiam arcessivit, praeter vexillationes, quae quoniam legionibus succedere non potuerunt, hac in quaestione neglegendae sunt, quattuor legionum erat[3]) (legg. I Ital., V Alaud., XXI Rap., XXII Primig.). E quibus unam legionem, XXI Rapacem, cum initio anni 70 in Germaniam transferretur[4]) primaque omnium eo adveniret[5]), antea in Moesia res gessisse non est probabile. Tres igitur restant legiones, quae quid inde a mense Novembri anni 69 fecerint, memoriae non

---

Sarmaticum non solum e Pannonia, sed etiam e Moesia copias arcessitas esse cum bello Dacico confecto consentaneum est, tum e titulis X 135 et fortasse XI 5992 concluditur. Si vero cum Cichorio facimus, quippe qui in scholis docere soleat expeditionem Sarmaticam anno 92 susceptam non cohaerere cum bello Suebico et Sarmatico annis 88 et 89 gesto, quia inter annos 89/90 et 92/93 Domitianus nunquam imperator consalutatus sit, ne putare quidem cogimur Sarmatas illos Iazyges fuisse.

[1]) Schiller, Nero p. 404 sq. suspicatus est legionem III Gallicam a Nerone in Moesiam missam esse, ut expeditioni ad Caspias portas suscipiendae interesset. At curnam necesse erat eum in Europam legionem transferre, qui in Asia bellum gesturus erat? Immo equidem putare malo eam ad Moesiam a barbaris defendendam arcessitam esse, praesertim cum Rhoxolanos hieme anni 67/8 duas cohortes in Moesia tendentes concidisse Tacitus referat (hist. I 79; cf. append. V). [2]) Idem Ritterlingio quoque sentiendum est, cum dicat (WDZ 12 p. 110 adn. 18) legionem VI Ferratam e Moesia deductam esse, cum Vitellianae legiones eo venissent: hac enim abducta nulla ibi legio morata est. [3]) Tac. hist. II 89 + 100. [4]) Ib. IV 68. [5]) Ib. IV 70; cf. Gündel l. l. p. 23 sq.

proditur. Tres autem legiones mense Novembri illius anni in Moesia desiderantur: Nonne verisimillimum est tres illas Vitellianas legiones anno 69 in Moesiam esse accitas? praesertim cum, id quod supra [1]) mihi demonstrasse videor, illo tempore nulla alia in provincia legione opus fuerit exceptis Germaniis, quo quae legiones missae sint, Tacitus disertis verbis narrat. Itaque mea quidem sententia statuendum est mense Novembri anni p. Chr. n. 69 in Moesiam translatas esse legiones I Italicam, V Alaudae, XXII Primigeniam [2]).

At videamus, quousque quae adhuc exposui congruant cum iis, quae de ceterarum legionum in Moesiam adventu sive enucleari sive conici possunt [3]). Atque mense Ianuario anni 70 Muciano Moesia satis firmo legionum praesidio munita esse videbatur. Cum enim legiones alias aliis provinciis attribueret, ex iis legionibus, quae antea in Moesia fuerant, non modo non VIII Augustam VIIque Claudiam, quas in Germaniam transtulit [4]), eo redire iussit, sed ne III Gallicam quidem; qua cum in Europa, opinor, se carere posse putaret, in Syriam remisit [5]). Itaque cum paulo post [6]) Sarmatae in Moesiam irrumperent, tres legiones ibi tendebant atque eae semiplenae: nam una legio I Italica tota Vitellio imperatore in Italiam profecta erat; et legionis V Alaudae et legionis XXII

[1]) cf. 38sqq. [2]) Hanc legionem tum in Pannoniam venisse Pfitzner (l. l. p. 66, 71, 147, 271) nullo prolato argumento contendit. Cum autem Suebos Sarmatasque Iazyges, Pannoniae accolas, tum hanc in provinciam invasisse ita non probabile sit, ut eos auxiliis obsidibusque datis Romanis fidem praestitisse putem (cf. supra p. 39 sq.), nulla, si quid video, causa exstitit, cur eo legio mitteretur. Neque quicquam fuisse, cur e Pannonia Flaviorum aetate in Germaniam transferretur, facile intelliges, si legeris, quae infra (p. 57) dicturus sum. Hoc loco admoneam tantum eam pro legione XIV Gemina anno 89 in Pannoniam deducta in Germaniam remissam non esse, cum iam ante annum 89 ibi versaretur (cf. p. 57). Valde autem gaudeo hucusque mecum consentire Weichertum, qui nuperrime de legione XXII Primigenia egit (WDZ XXI [1902] p. 119sqq. imprimis p. 155 sq.). [3]) Pfitzneri sententia, qui (l. l. p. 157sq.) unus, quantum scio, quomodo in Moesia legiones legionibus succederent, ostendere conatus est, iam stare non potest, cum neque legionem XXII Primigeniam respiciat neque de legione IV Flavia recte indicet. [4]) Tac. hist. IV 68; cf. supra p. 47sq. [5]) Tac. hist. IV 39; cf. supra p. 47 adn. 6. [6]) cf. append. V.

Primigeniae magna pars in Germania remanserat [1]). Praeterea optimus quisque a Vitellio in cohortes praetorianas denuo constituendas adlectus erat [2]); reliquorum autem animi duabus cladibus ad Cremonam acceptis infracti erant. Quo facilius fieri potuit, ut Fonteio Agrippa duce a Sarmatis vincerentur [3]). Ingenti hac strage facta Romanos commotos esse, ut legionem VII Claudiam, cuius milites Sarmatarum pugnandi rationem iam antea cognoverant, e Germania in Moesiam transferrent, Ritterling summa cum probabilitate coniecit [3]). Ab illo igitur anno quattuor legiones in Moesia castra habuisse equidem puto. Tum, altera parte anni 71 [4]), legio V Macedonica e Syria in provinciam suam revertit. Qua reversa legionem XXII Primigeniam in Germaniam redisse mihi quidem verisimile videtur esse, ut legione XV Apollinari in Pannoniam reversa legionem VII (Geminam) Hispaniae, provinciae suae, redditam esse Jünemann [5]) suo iure contendit. Nam legionem XXII Primigeniam iam ante annum 88/89, quo anno L. Antonius Saturninus rerum potiri conatus est, in Germaniam venisse certum est, quod a Domitiano ob eximiam fidem cognominibus P(iae) F(idelis) D(omitianae) ornata est [6]). In Germania autem inferiore eo ipso anno 71, quo in Moesia una legio supervacanea erat, una legio desiderata est [7]), cum Batavorum seditione profligata legio II Adiutrix in Britanniam transisset [8]). Neque ulla alia exstitit causa, cur illam eo arcessitam esse suspicari liceret: In Germaniis enim Flaviorum aetate Romani res bene gessisse videntur [9]) atque ita non auxilio eguisse, ut copias in Danuvianas provincias delegare possent [10]). Cum Domitianus autem bellum Chatticum suscepturus esset, legionem I Minerviam recens conscriptam, ut legioni XXI Rapaci ad belli sedes missae succederet, in Germania inferiore collocasse videtur [11]).

[1]) Tac. hist. I 59; 61; IV 24; 35; cf. 18; 57; 60. [2]) Tac. hist. II 93sq.; cf. IV 46. [3]) Ritterling, WDZ 12 p. 112sq. [4]) cf. supra p. 45, 46. [5]) l. l. p. 41 adn. 1. [6]) Möller, WDZ Korr. V p. 186 n. 132; Mommsen, ib. p. 234 n. 171; Ritterling, diss. p. 15 adn. 1; WDZ 12 p. 205sqq.; cf. Weichert, WDZ XXI p. 155sq., qui propter titulos in Germania inferiore repertos eam iam aliquanto ante annum 89 ibi versatam esse censet. [7]) Ritterling, diss. p. 67 sq. [8]) Gündel l. l. p. 25—29. [9]) Asbach, Bonn. Jahrb. 81 p. 28sqq.; Gsell, Domitien, p. 181sqq., 196sqq. [10]) CIL III p. 1960 dipl. XIV cf. Bormann, Jahrh. öst. arch. Inst. I p. 176. [11]) Ritterling, diss. p. 72sqq.; Trommsdorff, p. 66 adn. 1.

Quattuor his Moesicis legionibns (I Ital., V Alaud., VII Claud., V Mac.) mea quidem sententia quinta addita est, postquam annis 86 et 87[1]) Romani et C. Oppio Sabino et Cornelio Fusco duce atrocissimis proeliis afflicti sunt. Illo enim tempore legionem II Adiutricem in Moesiam venisse Gündel[2]) statuit, cui Trommsdorff[3]) adstipulatus est. Tum anno 92 legione V Alaudae a Sarmatis concisa[4]) legionem IV Flaviam, quae antea, ut ita dicam, pro subsidio in septentrionali parte Dalmatiae collocata erat atque fortasse iam antea ad bella gerenda auxilio arcessita est, in perpetuum in Moesia castra posuisse censeo[5]). Quae ut sentiam, commoveor hac inita ratione: Sub finem primi saeculi vel initio alterius legionem IV Flaviam in Moesia tetendisse verisimillimum est[6]). Quare cum Flaviorum aetate aliquamdiu in Dalmatia moraretur[7]), in Moesiam adduci potuit propter bella Dacica aut Domitiano aut Traiano imperante gesta. Apparet autem illis temporibus duabus accitis legionibus (II Adi., IV Flav.) concisa una (V Alaud.) exercitum Moesiacum una legione auctum esse. Iam totius rei cardo in eo vertitur, ut quaeramus, utrum hoc Domitiani an Traiani aetate factum sit. Traiani autem aetate rebus bene gestis Daciaque in provinciae formam redacta iam non necesse erat Moesiae fines a Dacis defendere: Quare si Traianus ad bella Dacica gerenda legionem arcessisset, Moesiae eum legionem attributurum fuisse ita non est probabile, ut eum bello confecto illam aut provinciae suae redditurum aut in Dacia collocaturum fuisse putem. Contra Domitiani aetate etiam pace facta periculum erat, ne Daci bellum redintegrarent. Imprimis vero admonendum est tum duobus continuis annis duos imperatores Romanos a Dacis occisos esse: utriusque exercitus magnam partem

[1]) Asbach l. l. p. 36 + adn. 4; Gsell, Domitien p. 210 sqq. [2]) l. l. p. 39 sqq. [3]) l. l. p. 81 adn. 2. [4]) Trommsdorff l. l. p. 69—85. [5]) Nescio an non obstent tituli legionis IV Flaviae Viminacii, ubi legio quoque VII Claudia castra habuit, reperti (Premerstein, Jahrh. öst. arch. Inst. IV Beibl. p. 105); nam fieri potuit, ut his in castris aut legio altera alteri succederet (adhuc enim nondum demonstratum est legionem VII Claudiam iam Flaviorum aetate ibi tetendisse) aut utraque legio eo tempore praetorium haberet, cum iam non vigebat, quod Domitianus vetuerat: geminari legiones. Accedit, quod etiam Alexandriae duae legiones versabantur (Trommsdorff l. l. p. 30). [6]) cf. supra p. 53 sq. [7]) cf. supra p. 52 sq.

trucidatam esse consentaneum est. Nonne multo verisimilius est illo vestigio temporis Domitianum, cum intelligeret exercitum Moesiacum iam non sufficere, illi exercitui legionem adiunxisse? Accedit, quod fortasse hac de causa Moesia in duas provincias divisa est, id quod post mensem Maium anni 86 et ante bellum Dacicum Domitiani compositum factum esse conicere licet[1]): nulla enim provincia innotuit, quae in perpetuum plus quattuor legionibus teneretur. Iamvero exstitit quaestio, utra legio prior advenerit, II Adiutrix an IV Flavia. Atque legionem II Adiutricem bello Dacico Domitiani interfuisse certum est[2]), legionem IV Flaviam illius belli participem fuisse probari nequit. Itaque, cum illud bellum sub finem anni 88[3]) aut summum anno 89[4]), quo anno Domitianus de Dacis Chattisque triumphavit, compositum sit, colligendum est legionem II Adiutricem iam anno 87 in Moesiam venisse. Sequitur, ut legio IV Flavia postea i. e. legione V Alaudae concisa eo translata sit.

Quinque legiones ab illis temporibus usque ad Diocletiani aetatem in Moesiis stativa habuerunt. Nam primis Hadriani annis cum legio II Adiutrix in Pannoniam transferretur, in Moesias accita est legio XI Claudia[5]). Tum igitur numerus legionum in Moesiis tendentium servatus est, castra tantum mutata sunt: legio II Adiutrix e superiore provincia discessit, legio XI Claudia in inferiore castra posuit. Quod non mirandum est; nam Dacia pacata superior provincia timore barbarorum liberata erat[6]), inferioris autem incolae Rhoxolanos denuo timere didicerant, quippe qui Hadriano

[1]) Premerstein, Jahrh. öst. arch. Inst. III Beibl. p. 138, cuius verba velim inspicias. [2]) III 10224; Gündel l. l. p. 39 sq., 53. [3]) Asbach, Bonn. Jahrb. 81 p. 36, 41 sq. [4]) Gsell, Domitien p. 216 sqq. [5]) Illud Gündel (l. l. p. 41—47) statuit, hoc van de Weerd (Contribution à l'histoire des légions Romaines, Musée Belge 1900 p. 46—55) probavit. Quas sententias alteram altera confirmari puto, praesertim cum neuter vir doctus alterius argumentatione nitatur. [6]) E verbis Spartiani (vit. Hadr. 6, 6): 'Audito dein tumultu Sarmatarum et Rhoxolanorum .... Moesiam petit' non necesse esse videtur cum Schillero (Kaisergesch. I 2 p. 160) colligere Rhoxolanos cum Iazygibus bellum contra Romanos coniunxisse: Iazyges enim nullo loco nominatim afferuntur; Spartianus ipse (ib. 6, 8) de solo rege Rhoxolanorum verba facit; Rhoxolani autem pars erant Sarmatarum. Quare nescio an illud ⟨et⟩, ut quod scribae ingenio debeatur, delendum sit.

ipso duce legione XI Claudia accita[1]) tantum quod a Moesiae finibus propulsi essent. Qua mutatione facta in Moesiis eae legiones collocatae erant, quarum nomina in titulis altero et tertio saeculo ibi positis passim occurrunt (leg. IV Flav., VII Claud., I Ital., V Mac., XI Claud.).

Ex iis autem, quae exposui, cognoscuntur haec: Si anno 69 tres legiones in Moesiam venisse putamus, omnia optime quadrant, quae de ceteris Moesiacis legionibus aut suspicari aut affirmare licet: nusquam hiat, opinor, lacuna. Bis tantum Moesiacus exercitus singulis legionibus auctus est, cum gravissimis cladibus acceptis cognitum esset eum hostibus non iam parem esse. Contra, si duas tantum legiones Vitellianas anno 69 accitas esse existimaremus, censendum esset illum exercitum aut alia praeterea de causa, quae quantum scio nulla exstitit[2]), amplificatum aut eodem tempore duabus simul legionibus arcessitis paene duplicatum esse; quod, cum tam paucis legionibus Romani contenti fuerint, haud ita verisimile est.

Confirmatur igitur, quod supra demonstrasse mihi videor. Ergo statuendum est: anno 69 tres Vitellianas legiones in Moesiam venisse, quo in numero legio I Italica erat.

Legio igitur I Italica inde a mense Decembri anni 69 in Moesia stativa habuit.

2. De castris legionis.

Primo p. Chr. n. saeculo ubi quaeque legio exercitus Moesiaci castra posuerit, adhuc ita non dignosci potest, ut ne constet quidem, quibus locis illis temporibus omnino stativa sive legionum sive auxiliorum fuerint. Legionum castra exstitisse suspicati sunt viri

[1]) cf. van de Weerd l. l. [2]) Cave in eo haereas, quod in bello Dacico et Oppius Sabinus et Cornelius Fuscus interfectus est. Nam quamquam fieri potuisse concedo, ut et hac et illa strage facta singulae legiones recens ad bellum mitterentur, tamen vereor, ne hac de causa in perpetuum duae legiones in Moesia collocatae non sint, quia in eodem bello uterque legatus cecidit neque ulla legio interisse videtur: legiones autem multis amissis militibus debilitatae facile supplemento expleri potuerunt.

docti Naissi[1]), Viminacii, Ratiariae, Oesci[2]), postea etiam Singiduni[3]) et Troesmi[4]). Quorum locorum nullo adhuc tituli legionis I Italicae in lucem prodierunt, qui ad primum saeculum referri possint, praeter Oescum. Ibi autem illa aetate castra munita esse vel propterea verisimile est[5]), quod tres veteranos, duos legionis V Macedonicae[6]), tertium legionis I Italicae[7]), ex Italia oriundos ibi sepultos esse compertum habemus; accedit mea quidem sententia, quod e lapide III 6123 colligendum est iam anno 61 viam militarem per Haemum montem apertam esse[8]); quo facto milites celerius Philippopoli ad Danuvii ripam pervenire potuerunt[9]). His in castris quamquam fieri potuisse, ut legio I Italica Flaviorum aetate praetorium haberet, nemo neget, tamen eam ibi tetendisse certis argumentis adhuc demonstrari nequit: Nam veteranus ille modo laudatus (n. 48) stipendiis alibi emeritis post honestam missionem Oesci consedisse potest. Item fieri potuit, ut C. Iulius Crescens, centurio legionis I Italicae[10]), (n. 42) parentibus Oesci defunctis sepulcrum exstruendum curaret neque ipse ibi moraretur. Neque e tegula Oesci reperta (n. 119) elucet totam legionem I Italicam eo venisse; immo quoniam Oescus non longe abest a Novis, a vexillatione quadam coqui potuit, cum legio ipsa Novis stativa haberet.

Traiani aetate legionis I Italicae castra Durostori fuisse et Mommsen[11]) et Domaszewski[12]) contendit, nisus uterque verbis Ptolemaei (geogr. III 10, 5 p. 466 Müller). Hac de re antequam disseram,

[1]) Premerstein, Jahrh. öst. arch. Inst. I Beibl. p. 165. [2]) Mommsen, R. G. V p. 194 adn. 1; Domaszewski, Neue Heidelberger Jahrbücher I p. 197 sq; Premerstein l. l. p. 170, 176. [3]) Domaszewski l. l. p. 198 adn. 4. [4]) Premerstein l. l. p. 177. [5]) Domaszewski l. l. p. 197 sq., atque nuperrime WDZ XXI p. 189 adn. 212. [6]) III 12348 = a. e. M. XIV p. 145 n. 9; III 14415. [7]) III 12352 = a. e. M. XIV p. 146 n. 11 (n. 48). [8]) cf. supra p. 44 adn. 1. [9]) Concedendum est, hac via qui profecti sunt, eos et Oescum et Novas iter derigere potuisse; Novae vero multo post conditae esse videntur; nam Oescus iam a Traiano colonia facta est, Novas autem non ante tertium saeculum municipii iure donatas esse suspicari licet (cf. CIL III p. 141; Premerstein l. l. p. 191). [10]) Qui titulus melioris aevi esse videtur cum propter tria nomina tum propter patrem commemoratum tribumque adhibitam. [11]) Eph. epigr. IV p. 528 sq., CIL III p. 992. [12]) CIL III p. 1349; idem paucis adnotant: Tocilesco, a. e. M. VI p. 3 n. 1; Premerstein, Jahrh. öst. arch. Inst. I Beibl. p. 191; Cagnat, ap. Daremberg et Sagliot l. l. p. 1076.

mihi praemonendum est neque Durostori neque locis vicinis ullum titulum legionis I Italicae in lucem prodisse, cum 12 vel 16 legionis XI Claudiae tituli ibi eruderati sint. Itaque, quia nullum praeterea antiquitatis testimonium exstat, haec quaestio tota in eo posita est, ut disquiramus, quid illi loco Ptolemaei tribuendum sit. Atque Carolus Müller, cum Ptolemaei libros ederet, se censere professus est[1]) scribae errore factum esse, ut verba *λεγίων πρώτη Ἰταλική* Durostoro adscriberentur. Contra Domaszewski[2]) sibi persuasit legionem I Italicam 'fortasse non mero errore a Ptolemaeo ibi collocatam esse'. Loco laudato autem leguntur haec:

Δουρόστορον λεγίων νγ΄δ″ με΄δ″ λεγίων πρώτη Ἰταλική.

Quae verba qui oculis percurrit, ei statim offensioni esse puto, quod vox *λεγίων* et ante positionis numeros scripta est et post eos iteratur. Neque quemquam esse arbitror qui neget ibi aliquod mendum latere. Facillime autem fieri potest, ut cum Domaszewskio suspicemur prius illud *λεγίων* depravatum esse, quoniam legionis adnotatio ibi mutilata est. Quare initium capiamus a quaestione de hoc loco instituenda atque primum examinemus, quid e codicum scriptura effici possit.

Tribus tantum in codicibus priore loco vox *λεγίων* omittitur; e quibus duo, Mediolanus 527 (Müllero *S*) et Florentinus Laurentianus XXVIII 49 (*Ω*), non in censum veniunt, cum in iis etiam post positionis numerum legio non adnotetur, legio igitur omnino non adscribatur. Restat tertia vetustior illa pars codicis Vaticani 191 (X), quam partem Müller plurimi aestimabat[3]), cuiusque solius testimonium Mommseno idem valet atque ceterorum codicum consensio[4]). At tamen non cogimur putare hoc loco in eo genuinam lectionem exstare. Nam iam Mommseno persuasum erat hunc codicem non pro solo fundamento Ptolemaei textus constituendi adhibendum esse[5]) atque Müller[6]) admonuit in eum interdum corruptelas irrepsisse[7]). Accedit, quod in ea ipsa codicis parte, ubi exstat

[1]) p. 465; p. 466. [2]) CIL III p. 1349. [3]) Hermes XV p. 300—305. [4]) Hermes XV p. 298. [5]) l. l. p. 300. [6]) l. l. p. 303. [7]) Liceat afferre nonnulla exempla e libro III petita: III 10, 5 p. 466, 2 Müller *λεγίων πρώτη Ἰταλικόν*; 9, 1 p. 452, 1 *μέχρι Θρᾴκης* pro *μέρει Θρᾴκης*; 12, 8 p. 497, 4sq. *Ἄθως ὄρος . . . . Ἄθως ἄκρον καὶ ὄρος* (*πόλις* cett.); 13, 2 p. 526, 9 *Ὄγχησμος λιμὴν μέγας* (ortum ex *με΄γ″*) aliaque;

locus ille, de quo quaestio est, scriba nonnunquam suo ingenio confisus aut, quae legerat, mutavit[1]) aut, quae observaverat, inseruit[2]).

5, 10 p. 426, 5 *ὑπὲρ οὓς Σόσσιοι* pro *ὑπὲρ οὓς Ὄσιοι*; 8, 2 p. 443, 6 *Ἀτούλτα* pro *Ἀλούτα*; 8, 2 p. 443, 16 *τενιδογετίαν* pro *τὴν Δινογετίαν*(?); 11, 9 p. 491, 10 *Καλλιοπίς* pro *Καλλίπολις*; 10, 2 p. 458, 5 *Νουίδουνον* pro *Νουιόδουνον*; 10, 4 p. 463, 4 *Τρωγοδύται* pro *Τρωγλοδύται* multaque alia id genus. Verba, quae uncis inclusi, omittuntur in X: e. g. III 5, 6 p. 420, 10 *ἡ δὲ πηγὴ ἡ ἀρκτικωτάτη* [*τοῦ Βορυσθένους ποταμοῦ*]; 8, 2 p. 443, 4sq. [*ἡ τοῦ Κιάβρου ἐκτροπή μθ΄∠″μγ΄∠″δ″*]; 9, 1 p. 452, 3 *οὗ* [*ἡ*] *θέσις*, quod passim occurrit; imprimis autem: 3, 2 p. 375, 3 *Οὐσελλὶς πόλις* [*κολωνία*] *λ΄∠″λς΄∠″γ″ιβ″*, ubi vox *κολωνία* eodem loco posita est atque prius illud *λεγίων*. — Verborum ordo immutatur: III 1, 59 p. 359, 2sq.; 6, 5 p. 439, 2; 13, 4 p. 529, 6. — III 1, 1 p. 321, 8sqq. scriba codicis X verba *μέχρι τοῦ Γαργάνου ὄρους παραλίῳ καὶ μέχρι Ὑδροῦντος*, quae in plurimis codicibus leguntur, mirum in modum confudit cum verbis *ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν τῇ ἀπὸ τοῦ Γαργάνου ὄρους*, quae in archetypo post illud *ὄρους* exstiterant, in codicibus autem plerumque exciderunt, in cod. *Ξ* in margine adscripta sunt. Exhibet enim cod. X: *μέχρι τοῦ Σαργάνου ὄρους παραλίῳ καὶ μέχρι τοῦ Ὑδροῦντος ποταμοῦ* (sic)· *ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν τῇ ἀπὸ τοῦ Γαργάνου ὄρους μέχρι τοῦ Ὑδροῦντος . . .*

[1]) Consulto mutasse videtur scriba codicis X vel codicis eius, e quo X derivatus est, cum scriberet: III 11, 3 p. 474, 2 *Βιθυνίας* (nomen regionis haud ignotae) pro *Θυνίας*; 14, 24 p. 545, 9 *Ἄνδρου νήσου πρὸς ὅρμον* pro *ὁ πρόσορμος*(?), ubi cett. codd. plerumque solum genetivum habent; 5, 5 p. 419, 5sq. *ὄρη Σαρματίας τῆς ἐν Εὐρώπῃ* pro *καὶ ἑτέροις δὲ ὄρεσι διέζωσται ἡ Σαρματία, ὧν ὀνομάζεται . . .*, ubi illud *ἕτερα* scribae offensioni fuisse videtur. — III 10, 1 p. 457, 6sq. legitur in X: *τῷ εἰρημένῳ ἀπὸ τοῦ Κιάβρου ποταμοῦ Δανουβίῳ*; in *BESΩ*: *τῷ εἰρημένῳ ἀπὸ τοῦ Κιάβρου ποταμοῦ μέρει Δανουβίου*; ceteris in codicibus quamquam vox *μέρει* omittitur, tamen genetivus et Ciabri et Danuvii exhibetur: quare probabile est illud *μέρει* in archetypo exstitisse, in codice eo autem, e quo X descriptus est, omissum esse atque tum, quoniam quae restabant, sensu carebant, a scriba dativum *Δανουβίῳ* pro genetivo mutatum esse. [2]) III 7, 2 p. 441, 15: sub finem capitis quod est de Iazygibus legitur in codice X: *χώρας οὐκ ἔχει*, id quod e verbis antecedentibus facillime cognosci potest. III 11, 9 p. 491, 10: postquam Chersonesus Thracia descripta est, in codice X adnotatur: *Μεσογείους οὐκ ἔχει ἡ Χερσόνησος*. Hoc in capite enim oppida tantum afferuntur, quae in ora maritima sita sunt. — Quibus cum locis conferre liceat, quod sub finem totius operis scriba codicis X admonuit Ptolemaeum quidem in libro octavo dicere se viginti sex tabulas, ubi orbis terrarum depictus esset, libello inseruisse, in codice autem eo, quem ipse transcripsisset, viginti septem tabulas inesse: (Hermes XV p. 301) *Ἐνταῦθα κς΄ πίνακας κατατάσσει* (*κατάσσαι* cod.), *ἐν αὐτῇ δὲ τῇ καταγραφῇ κζ΄*.

Cum autem ibi, qui codicem scripsit, suo iudicio utatur, nescio an fieri potuerit, ut in voce *λεγίων* bis posita offenderet eamque priore loco deleret.

Hic igitur e codicum lectione certum argumentum elici nequit; itaque evolvendi sunt ceteri loci, ubi Ptolemaeus oppidis legiones adscripsit, atque inquirendum est, num alibi quoque legionum adnotationes mutilatae sint. E re autem erit secernere eos locos, quibus legio ante positionum numeros adnotatur, ab iis, ubi post illos numeros exhibetur. (Uncis quadratis includam, quae in solo codice X leguntur.)

A. ante numeros collocatae sunt legiones:

II 3, 13 p. 104, 5: *Ἴσκα ἐν ᾗ λεγίων καὶ* (sic) *Σεβαστή ιζ'∠''νβ'∠''γ''* X
Ἴσκα ἐν ᾗ λεγίωνες β' Σεβαστή ιζ'νβ'∠''γ'' ΣΦΨarg. cf. sub B.

(II 6, 28 p. 160, 2: *Λεγίων ζ' Γερμανική ϑ'μδ'∠''* ΧΣΦΨarg. [cf. infra p. 66])

Qui locus nobis non respiciendus est, cum legio non oppido adscripta sit, sed ipsa oppidi loco posita sit.

II 9, 8 p. 227, 4: *εἶτα Τραϊανὴ λεγίων [κβ'] κζ'∠''ν'∠''ιβ''*

κβ' habent tantum *ΧΣΦΨ* cod. lat. 4803 edd. Rom. Arg. Ulm.

II 15, 3 p. 300, 1: *Ἀκούμινκον λεγίων με' με'γ''*

III 9, 3 p. 453, 6: *Σινγίδουνον* | *[λεγείων δ'* | *Φλαυία] με'∠''μδ'δ''*

Hoc Curtius Fischer, qua est benignitate, me docuit.

III 9, 3 p. 453, 9: *Οὐϊμινάκιον λεγίων μς'∠''μδ'γ''*

V 14, 8 p. 967, 6 sq.: *Σαμόσατα λεγίων [Φλαουία] οα'∠''λζ'∠''ιβ''*

V 14, 12 p. 973, 3: *Ῥαφανέαι [λεγίων τρίτη] ξϑ'δ''λδ'δ''*

V 16, 4 p. 1000, 2: *Βόστρα λεγίων [γ' Κυρηναϊκή] ξϑ'∠''δ''λα'∠''*

B. post numeros collocatae sunt legiones:

II 3, 10 p. 98, 1: *Ἐβόρακον κ'νζ'γ'' λεγίων ς' Νικηφόρος*

II 3, 11 p. 99, 4: *Δηοῦα ιζ'∠''νς'∠''δ'' καὶ λεγίων κ' Νικηφόρος*

His locis Carolus Müller in editione legiones ante numeros posuit. Cum autem Müller in schedis suis ad hos locos nihil de collocatione verborum in codicibus exhibita

---

τὸν γὰρ ι' πίνακα τῆς Εὐρώπης εἰς δύο διαιρεῖ, εἰς ἕνα μὲν τάσσων τὴν Μακεδονίαν, εἰς δὲ ἕτερον Ἤπειρον καὶ Ἀχαΐαν καὶ Πελοπόννησον καὶ Κρήτην καὶ Εὔβοιαν.

adnotavisset, verisimillimum esse cum ceteris in codicibus tum in codice X eundem ordinem verborum exstare atque in editione Wilbergiana (p. 108) Curtius Fischer per litteras liberaliter mecum communicavit. In codice Athoo L, quem solum inspicere mihi licuit[1]), legiones post positionum numeros adscriptae sunt.

II 3, 13 p. 104, 5: *Ἴσκα ιζ'∠''νβ'∠''δ''* (*ιζ'νβ'∠''* BEZ) *λεγίων δευτέρα Σεβαστή* (*ἑκαστή* BE) *ιζ'νβ'* (vel alii numeri) codd. praeter *ΧΣΦΨSΩ¬* arg. cf. sub A.

II 9, 8 p. 226, 6 sq.: *Οὐέτερα κζ'∠''να'∠''γ'' λεγίων λ' Οὐλπία* cett. codd.

(*ἐν ᾗ λεγ. Οὐλ. α; ἐν ᾗ λεγούων Λουππία ΧΣΦΨ* arg; *Γελίων Οὐλπία* BEZ; *Οὐλπία λεγίων κη'νβ'* A.)

II 9, 8 p. 227, 2 sq.: *εἶτα Βόννα κζ'γο''ν'∠''γ'' λεγίων α' [Ἀϑαναϊκή]* C. Müller

(*λεγ. α' αϑηναι κή ΧΣΦΨ*, in *Σ* litterae *κή* punctis notantur; *ἀϑαναι κη'* arg; legio prima Athanani. arg.; in cett. codd. *ἀϑηναϊκή* omittitur.)

II 9, 9 p. 229, 6 sq.: *Ἀργεντόρατον κζ'∠''γ''μη'∠''δ'' λεγίων η' Σεβαστή.*

II 14, 3 p. 291, 6 sq.: *Οὐινδόβονα λζ'∠''δ''μς'∠''γ'' λεγίων ι' Γερμανική.* (*Οὐιλιόβονα* codd.).

II 14, 3 p. 292, 1 sq.: *Φλέξον μ'μζ'δ'' λεγίων ιδ' Γερμανική*

II 14, 3 p. 292, 4 sq.: *Βριγέτιον μα'μζ'γο'' λεγίων α' Βοηϑός* (*Βραιγαίτιον* vel similiter codd.)

III 10, 5 p. 467, 3 sq.: *Τροισμίς νδ'μς'γ'' [λεγίων ε' Μακεδονική]*

IV 3, 7 p. 646, 1 sq.: *Λάμβαισα κϑ'λ' λεγίων τρίτη Σεβαστή.*

Haec si perlustramus, facile cognoscimus neque propterea prius illud *λεγίων* prorsus reiciendum esse, quod ante positionis numeros collocatum est — septies (octies) enim praeterea illo loco eadem vox exstat — neque quia legionis adnotatio mutilata est: Apparet enim illam notam omnibus locis, ubi post ipsum oppidi nomen inseritur, aut totam evanuisse (bis) aut verbum tantum *λεγίων* servatum esse (quinquies), atque id omnibus in codicibus praeter X et eam partem codicum *ΣΦΨ*, quam cum codice X quodammodo cohaerere Müller[2]) admonuit. Atque etiam his in codicibus bis *λεγίων* tantum exstat, ter sive cognomen sive numerus legionis

---

[1]) Langlois, Géographie de Ptolemée, reproduction photolithographique du manuscrit grec du monastère de Vatopédi au mont Athos, Paris 1867, fol. XVII v. 1; 4. [2]) Hermes XV p. 303.

omittitur; contra, ubi post positionis numeros legio commemoratur, id quod undecies (decies) fit, semel tantum cognomen, semel omnino legionis adnotatio in codicibus praeter X vel *XΣΦΨ* non additur. Quae cum ita sint, adeo demonstrari nequit prius illud *λεγίων* scribae errore insertum esse, ut equidem non reprehendam, si quis hanc genuinam lectionem esse contendat.

At aliud quoque e codicum scriptura colligi posse confido, si quaerimus, ubi legiones a scribis in margine adscriptae sint. Atque adnotat Müller ad:

II 3, 10 p. 98, 1: in codd. *SΩ*¬ legionis mentio h. l. et p. 99. 4 et similiter aliis locis ad marginem magnis litteris rubris notatur; (in schedis Mülleri legitur: 'in *SΩ*¬ rot am Rande neben *Καμουλόδουνον*' [p. 98, 2]).

II 3, 11 p. 99, 4: *καὶ* om. *SΩ*¬, in quibus legionis mentio in margine adscribitur.

II 3, 13 p. 104, 5: Legionis mentio margini adscripta in *SΩ*¬.

II 6, 28 p. 160, 2: in cett. codd. (praeter *XΣΦΨ*arg: cf. supra p. 64) numeri positionis omissi sunt, quasi Legio h. l. non ipsum urbis nomen esset, sed sicuti alibi appositio ad urbis nomen praecedens. Praeterea in schedis Mülleri legi '*λ.ζ'Γ.* käme nach *S* zu Gigia zu stehen' Fischer ad me scripsit; unde elucet hoc quoque loco legionem in cod. *S* in margine adnotatam esse.

II 9, 8 p. 227, 3: versum hunc om. **CPRV***α*, at in marg. **CPRV**: *λεγίων α'*.

II 14, 3 p. 291, 7: versum om. *P***R***V*, in margine litteris rubris, ut alibi, habent *C***R***SWΩ*; praeterea est in schedis Mülleri: 'in *C* neben *Καρνοῦς*, (mit grossen Buchstaben L).'

II 14, 3 p. 292, 2: versum om. *PV*, in margine habent *RSWΩ*; praeterea est in schedis Mülleri: 'in *C* am Rande neben *Χερτόβαλος*.'

II 14, 3 p. 292, 5: versum om. *PVW*, ad marginem habent *CRSΩ*; praeterea in schedis: '*N* rot, wie alle Legionsnamen'.

IV 3, 7 p. 646, 2: legionis mentio om. in *APV*, *τρίτη* om. edd. Rom. Ulm.

Videmus igitur in nonnullis codicibus (*CPRSVWΩ*¬) sive interdum sive plerumque legionum adnotationes in margine appositas esse iis locis, ubi ceteris in codicibus post positionum numeros collocatae sunt. Contra, ubi ante eos leguntur, nullo loco, siquidem Mülleri schedis fidem habemus, margini adscriptae sunt. Accedit, quod et II 15, 3 p. 300, 1 solam vocem *λεγίων* etiam in codd. *SΩ*¬, ut qui alibi legiones in margine exhibeant, in contextu exstare et III 10, 5 p. 466, 2 in cod. W prius illud *λεγίων* in textu, *λεγίων πρώτη Ἰταλική* in margine scriptum esse Fischer me certiorem fecit.

Iam mihi liceat afferre, quae de codice Athoo L, qui antiquissimorum est, observavi. Qui ab initio usque ad folium XVII editionis phototypicae totus scriptus est litteris parvis; nisi in inscriptionibus capitum nusquam litterae maiores inveniuntur. Inde a folio XVIII autem magnae illae litterae non solum in inscriptionibus atque subscriptionibus, sed etiam in genetivis nominum et gentium et regionum adhibentur — qui genetivi cum non conexi sint cum ceteris contextus verbis, a scriba pro inscriptionibus haberi poterant — praeterea iis tantum locis, ubi legionum nomina post positionum numeros inserta sunt[1]), cum iis locis, ubi sola vox *λεγίων* ante positionum numeros ad oppida ipsa adnotatur[2]), hoc quoque verbum parvis litteris perscriptum sit[3]). Qui factum sit, ut illae legionum adnotationes eodem modo atque inscriptiones a ceteris Ptolemaei verbis scripturae forma distinguerentur, cognoscitur, opinor, e folio XXXIX v. 30 (= III 15, 3 p. 563, 4), quo uno, quantum video, loco praeterea magnae litterae adhibentur: Ibi nomen *Λεβῆνα* in plurimis vel fere omnibus codicibus depravatum est in *Βηλεία ἢ Λεία* vel simile aliquid. Quod nonnullis in codicibus litteris rubris, in codice Athoo L litteris magnis scriptum est; in codicibus vero *CPRV* item atque illae integrae legionum adnotationes in margine appositum et litteris rubris vel aureis depictum est. Haec verba ab illorum codicum scribis tanti aestimata esse putandum est, quia glossema[4]) fuerant, quod cum in margine exstaret, a scribis pro inscriptione habebatur. Eadem de causa verba *Γερμανία δευτέρα* (fol. XXIII v. 35 = II 10, 7 p. 242, 5) in codice L magnis litteris perscripta sunt: hoc enim glossema esse constat[5]), cum Germania secunda plus saeculo demum post Ptolemaei aetatem instituta sit[6]) neque hoc loco apte commemoretur. Praeterea haec verba, ut permultis in codicibus, ita in L (fol. XXIV v. 5 = II 11, 1 p. 248, 2) — post 44 versus Mülleri,

[1]) fol. XXIII v. 1; 2; 5 = II 9, 8 p. 226, 6; 227, 2; II 9, 9 p. 229, 7; fol. XXVI v. 18; 19; 20 = II 14, 3 p. 291, 7; 292, 2; 292, 5; fol. XLII v. 34 = IV 3, 7 p. 646, 2. [2]) fol. XXIII v. 2 = II 9, 8 p. 227, 4; fol. XXVI v. 41 = II 15, 3 p. 300, 1; fol. XXXIV v. 12; 37 = III 9, 3 p. 453, 9; III 10, 5 p. 466, 2; fol. LVI v. 30 = V 14, 8 p. 967, 6; fol. LVII v. 43 = V 16, 4 p. 1000, 2. [3]) Quod quo facilius intelligas, velim inspicias imprimis foll. XXIII et XXVI. [4]) cf. Müllerum ad hunc locum. [5]) cf. Müllerum ad hunc locum. [6]) cf. Marquardt, St. V. I² p. 282.

$11^1/_2$ lineas codicis L, quod fortasse unius columnae spatium erat — iterantur atque ibi quoque litterarum forma a ceteris contextus verbis distinguuntur: unde elucet ea in antiquissimo quodam codice inter columnas posita esse atque postea et in praecedentem et in sequentem columnam irrepsisse. Quae cum ita sint, mihi quidem persuasum est illas legionum adnotationes ipsas quoque propterea magnis litteris scriptas esse, quod in codice eo, e quo Athous L originem duxit, in margine legebantur atque hac de causa scribis aut inscriptiones aut certe magni momenti esse videbantur[1].

Hinc efficitur, opinor, ut non solum in recentioribus (quantum nos quidem scimus) codicibus legiones eae, quae nunc post positionum numeros laudantur, margini adscriptae sint, sed etiam, cum codex ille Athous saeculo XII attribuendus sit[2], in vetustissimis[3]. Neque obstare puto, quod in codice Vaticano X, qui ad saeculum XIII refertur[4], litteras eas, quibus legiones adnotantur, non differre a ceterarum litterarum forma Fischer me admonuit: nam fieri potuit, ut homo ille litteratus, qui aut X perscripsit aut codicem illum, unde X fluxit, illa verba marginalia non plus valere cognosceret quam cetera, id quod etiam III 10, 9 p. 471, 9 in glossemate[5]) alieno loco inserto factum est. Idem accidisse arbitror in priore parte codicis L (usque ad fol. XVII).

Simul autem statuendum est iis locis, ubi legiones ante positionum numeros leguntur, neque in codicibus *SWΩ*¬[6]) neque in antiquissimo illo codice, unde Athous L transcriptus est, legionum nomina in margine adnotata esse.

Quod utrumque admirationem non movet, si in antiquissimis codicibus item atque in vetustiore parte codicis X[7]) in singulis foliis binae vel quaternae columnae scriptae erant. Tum, cum versus parvi essent, siquis positionum numeros alios sub aliis ponere studebat, spatium ad legiones inter oppida et numeros inserendas

[1]) Quod fol. XIX v. 33 (= II 6, 28 p. 160, 2) verba *λεγίων ζ' Γερμανική* parvis litteris exhibentur, non est mirandum, quoniam ibi castra (hodie Leon) pro oppido afferuntur et in archetypo item atque in *ΧΣΦΨ* positionis numeris praedita fuisse verisimillimum est (cf. Itineraria a Müllero ad hunc locum laudata). [2]) Langlois l. l. p. 100 n. 21. [3]) cf. Müllerum ad p. 227, 4: 'Nomina legionum in antiquissimis codd. ad marginem plerumque apposita sunt'. [4]) Mommsen, Hermes XV p. 298. [5]) cf. infra p. 70 adn. 1. [6]) cf. supra p. 66 extr. [7]) cf. Hermes XV p. 302.

non sufficiebat: Itaque facillime fieri potuit, ut legionum mentio aut margini adscriberetur aut mutilaretur.

Iamvero redeamus ad locum, de quo quaestio est (III 10, 5 p. 466, 2). Ibi ante positionis numeros vox *λεγίων* legitur omnibus in codicibus praeter *SΩ*, ubi omnino legio non adnotatur, et X, ubi hanc vocem consulto omissam esse suspicari licet; in codice L (fol. XXXIV v. 37) illud *λεγίων* usitatis litteris perscriptum est. Post positionis autem numeros adiecta sunt verba *λεγίων πρώτη Ἰταλική*: Quae verba in codice W in margine adscripta sunt, cum in eodem codice *λεγίων* in textu exstet. In codd. *CSΩ*, qui eiusmodi adnotationes in margine habent, exciderunt: ut autem exciderent, facillime fieri potuit, si hoc quoque loco in margine apposita erant. In codice vero Athoo L magnis litteris scripta sunt; qua de causa concludere licet ea etiam in vetustissimo illo codice, unde L fluxit, in margine exstitisse.

Quid autem est verisimilius: Prius illud *λεγίων*, quod cur in suspicionem vocetur, prorsus nihil est, quodque nunquam in margine fuisse videtur, hoc loco scribae errore insertum esse? an posteriorem illam legionis mentionem, quam in antiquissimis codicibus in margine scriptam esse probabile est? Equidem puto hoc non difficile esse diiudicare: nam, quod in margine erat, facile alieno loco in textum recipi potuit. Atque censeo etiam nunc cognosci posse, quomodo hoc factum sit: videmus enim in ipsa margine hoc illove in codice interdum alio loco atque ceteris in codicibus legionem adnotatam esse: in cod. S ad p. 159, 6 adscribitur, quod alibi post p. 160, 1 inseritur; in cod. C ad p. 291, 8, quod alibi p. 291, 7, ad p. 292, 3, quod alibi p. 292, 2[1]) legitur. Huc accedit, quod in

[1]) Paucis admoneam verisimillimum esse hoc loco (II 14, 3) scribae errore legionem XIV Geminam alieno oppido attributam esse. Nam Carnuntum, ubi iam ante Vespasiani aetatem castra fuerant (cf. Der römische Limes in Österreich I (1900) p. 19sqq.; Cagnat ap. Daremberg et Sagliot l. l. s. v. legio XV Apollinaris p. 1087; supra p. 43 adn. 3) atque per saecula manserant (Itin. Ant. p. 247, 4; Not. Dign. Occ. 34, 26), apud Ptolemaeum legione caret, contra post unum versum ad Flexum adscribitur legio XIV Gemina, quam Carnunti tetendisse constat. [Eam primo p. Chr. n. saeculo revera Flexi stativa habuisse contendit Domaszewski (Religion, WDZ 14 p. 23; CIL III S p. 2191) nisus titulis III 13443 et III 13444: quibus m. q. s. nihil demonstratur; nam e III 13444 non

capite III 10 nullo loco vox λεγίων post ipsum oppidum invenitur nisi post Durostorum. Quo facilius fieri potuit, ut, qui codicem transcripsit, illud λεγίων πρώτη Ἰταλική ad id oppidum in margine apponeret, ubi iam legionis mentio in textu exstabat. Inde autem in contextum receptum est[1]).

Quae cum ita sint, hoc statuendum erit: Si codicum scripturae rationem habemus, multo verisimilius est legionis I Italicae mentionem e margine alieno loco in textum illatam esse; iam antea autem in ipso textu fuisse vocem λεγίων, quae ex alterius cuiusdam legionis adnotatione sola supercrat[2]). Itaque *probabile est Durostori non legionem I Italicam stativa habuisse, sed aliam quandam legionem.*

At si quaerimus, quaenam illa legio fuerit, denuo difficultates exsistere videntur. Cum enim in Moesiis inde a Domitiani aetate quinque legiones tetenderint[3]), quattuor autem (legg. IV Flav., [VII Claud.], I Ital., V Mac.) a Ptolemaeo commemorentur, quinta restat aut II Adiutrix aut XI Claudia. Quarum illa in superiore, haec in inferiore provincia castra habuit. Quare Durostoro, quippe quod in Moesia inferiore situm esset, nulla legio adscribi potuit nisi XI Claudia, cuius canabas ibi Antonini Pii temporibus exstitisse scimus[4]). At hanc legionem Hadriano demum imperante illam in provinciam venisse van de Weerd probavit[5]). Viri autem

colligitur totam legionem, sed unam tantum centuriam in aedificio quodam exstruendo occupatam fuisse (Kubitschek, Jahrh. öst. arch. Inst. III Beibl. p. 13, titulum altero vel tertio saeculo attribuit); ara autem III 13443 — nisi forte eam Carnunto allatam esse putare mavis, simili modo ac Domaszewski ipse (Religion WDZ 14 p. 37) aram III 11082 Arrabonae repertam Brigetione exaratam esse censet — aut a veteranis (cf. WDZ 14 p. 25sq. n. 24sqq.) aut a centurione vexillationi legionis XIV Geminae Flexi tendenti praefecto dedicari potuit.]

[1]) Hoc quoque memoratu dignum videtur: in optimo illo codice X post III 10, 9 p. 471, 9 scriptum est: ἀπέναντι Νοβιδούνου πέραν τοῦ Δανούβεως ποταμοῦ ἔστι πόλις τῶν Γόθθων Ἀλιόβριξ, quod glossema antea ad p. 468, 1 in margine adnotatum esse Müller probat (Hermes XV p. 302). Quare nemo neget etiam in codice X fieri potuisse, ut illud λεγίων πρώτη Ἰταλική, si antea in margine fuerat, alieno loco in textum insereretur. [2]) Quod nescio an eo confirmetur, quod, si hanc sententiam sequimur, nulla omnino legio in provinciis Danuvianis (excepta Dacia) desideratur. [3]) cf. supra p. 58sqq. [4]) III 7474. [5]) cf. supra p. 59 adn. 5.

docti[1]) sibi persuaserunt Ptolemaeum, quandoquidem Marinum Tyrium auctorem secutus est atque in regionibus perscribendis rebusque gestis afferendis ea potissimum commemorat, quae ad Traiani aetatem pertinent, legiones quoque ita distributas tradidisse, ut Traiano imperante collocatae erant. Sed cum Ptolemaeus Marini libros non solum retractaverit, sed etiam correxerit atque amplificaverit[2]) et Marinus ipse quoque non semper eum statum respexerit, qui eius ipsius aetate vigebat, neque de toto opere neque de unius provinciae descriptione in universum iudicari potest; immo de unoquoque adnotationum genere seorsum quaestio instituenda est[3]). Legionum autem mentiones ad aetatem anno fere 120 posteriorem pertinere Gündel[4]) docuit. Nam legio VI Victrix a Ptolemaeo Britanniae, legio XXX Ulpia Germaniae attribuitur: quas in regiones translatae sunt, cum legio IX Hispana anno fere 120 a Brigantibus concisa esset. In Pannonia autem omnes legionum mutationes, quae usque ad Hadriani tempora factae sunt, Ptolemaeo innotuerunt. Quibus argumentis nunc novum adicere licet: Etiam castra Lambaesitana (Ptol. IV 3, 7 p. 646, 2) Hadriani demum aetate munita esse probari potest. Nam Hadrianus cum Kal. Iul. anni p. Chr. n. 128[5]) Lambaesi contionem haberet, milites laudavit, quod, quamquam 'sua memoria bis non tantum castra mutassent, sed et nova fecissent'[6]) — id quod legatus legionis admonuisset —, tamen ita exercitatione non cessassent, ut summam imperatoris laudem sibi peperissent. Illa munera autem excusandi causa a legato legionis proferri non potuissent, si iam Traiano regnante, i. e. ante undecim annos, legio Lambaesi castra posuisset.

Itaque Ptolemaeus cum in legionibus distribuendis Hadriani vel Antonini Pii aetatis rationem haberet, m. q. s. nullam omnino

[1]) Ritterling, diss. p. 49; Jünemann l. l. p. 72; Domaszewski, Mus. Rhen. 46 p. 605; Kalopothakes, de provincia Thracia, diss. Berolini 1893 p. 3. [2]) Ptol. geogr. I 6sqq.; I 16sqq. [3]) Exemplum eiusmodi disquisitionis in lucem edidit: Jelič, Das älteste kartographische Denkmal über die römische Provinz Dalmatien, Wissenschaftliche Mitteilungen aus Bosnien und der Herzegovina VII (1900) p. 167sqq. [4]) l. l. p. 49 et 51. [5]) De tempore allocutionis certiores facti sumus frustulo lapidis nuperrime reperto, de quo egit Héron de Villefosse, Comptes Rendus de l'Académie des Inscriptions et Belles-lettres 1901 p. 613. [6]) VIII 2532 A b v. 6sqq. cf. VIII p. 283.

legionem Durostoro adscribere potuit nisi legionem XI Claudiam. Nam Antonino Pio imperante Durostori canabae legionis XI Claudiae erant[1]): cum autem provinciae Danuvianae excepta illa Rhoxolanorum incursione primis Hadriani annis facta[2]) Hadriano et Antonino Pio imperatoribus assidua pace usae sint neque ulla legio recens eo venerit neque fines provinciarum propagati sint, nulla invenitur causa, cur legio XI Claudia illa aetate castra mutaverit. Quare eam, postquam primis Hadriani annis in Moesiam inferiorem pervenit, statim Durostori castra munivisse suspicari licet.

Ut igitur complectar: e codicum scriptura conclusimus verisimillimum esse legionem I Italicam scribae errore ad Durostorum appositam esse, alterius cuiusdam legionis (scil. XI Claudiae) mentione iam antea illo loco in textum inserta atque mutilata. Ab altera parte probabile est Hadriani et Antonini Pii temporibus, quae Ptolemaeus respexit, Durostori legionem XI Claudiam collocatam esse. Quod qui secum reputat, eum me non vituperaturum esse arbitror, quod contendere non audeo legionem I Italicam Durostori stativa habuisse[3]).

Iamvero restat, ut quaeramus illa legionis I Italicae adnotatio unde in hunc locum illata sit ubique antea exstiterit. Atque cum ad Troesmin legio V Macedonica adnotetur, Durostoro autem legionem XI Claudiam adscriptam esse probari possit, optio non datur nisi inter Oescum et Novas, quibus locis exceptis legionum castra, quantum nos quidem scimus, in Moesia inferiore non fuerunt. Oescensia autem castra altero saeculo supervacanea erant, cum Aluta fluvius Dacia subacta hostibus iam non aditum praeberet[4]) atque limite Alutano Hadriano regnante exstructo[5]) magnam partem

[1]) III 7474. [2]) cf. supra p. 59sq. + p. 59 adn. 6. [3]) Cum Domaszewskii sententia vereor ne hoc quoque pugnet: in titulo modo laudato (III 7474) commemorantur canabae Aeliae legionis XI Claudiae. Nonne mirum esset, si canabae illae ⟨Flaviae⟩ vel ⟨Ulpiae⟩ — sic enim nominatae essent, si iam antea legio I Italica Durostori tetendisset — nomen mutassent, cum altera legio alteri succederet? Nam constat canabas suo loco remansisse, etiamsi legio alio abducta est (cf. Schulten, Pauly-Wissowa III p. 1453). [4]) Hoc admonuit Domaszewski, Neue Heidelberger Jahrbücher I (1890) p. 198. [5]) Tocilesco, Fouilles et recherches archéologiques en Roumanie p. 120, p. 128sq.; CIL III 13795sq., 12601, 12604.

intra fines imperii Romani flueret[1]). Qua de causa Oesci Hadriani aetate stativa iam non exstitisse quamquam non certum est — dicat enim quispiam e re fuisse hunc locum praesidio munire, quoniam ibi via Alutana cum via Danuviana coniungebatur — tamen conicere licet. Accedit, quod Oescus iam a Traiano colonia facta est[2]). Itaque, siquidem Mommsen[3]) recte docuit primo p. Chr. n. saeculo canabis ius coloniae non esse datum nisi legione deducta, statuendum erit Oescum iam sub finem Traiani aetatis legione caruisse. Quae cum ita sint, mihi quoque[4]) verisimilius videtur esse Ptolemaeum legionem I Italicam ad Novas adnotasse, quod oppidum in Ptolemaei contextu duobus tantum nominibus a Durostoro distinetur, cum inter Oescum et Durostorum quattuor nomina intercedant. Putandum igitur erit legionem I Italicam Ptolemaei temporibus atque, cum inde a primis Hadriani annis Moesiacas legiones castra mutasse non probabile sit[5]), etiam Hadriani aetate Novis praetorium habuisse[6]).

Novis legio omnibus deinceps temporibus tetendit. Nam praeter Claudium Ptolemaeum eam in castris Novensibus collocatam esse commemorat et Geographus Ravennas[7]), qui tabulam tertii saeculi exscripsit, et Itinerarium Antonini[8]) Diocletiano imperante compositum et Notitia dignitatum saeculo quarto exeunte scripta, ubi Novis et praefectus et pars legionis collocatur[9]), cum altera pars legionis Sexantis Pristis[10]) attribuatur[11]). Tituli autem

[1]) Inspice quaeso tabulam a Tocilesco l. l. post p. 118 insertam atque tabulam ad CIL III Suppl. adnexam. [2]) colonia Ulpia Oescus: III 753 = 7429. [3]) Hermes VII p. 301sqq. Contra eum verba facit Schulten, Hermes XXIX p. 498sqq.; Pauly-Wissowa, Realencycl. III p. 1455. [4]) Idem sentit Müller ad Ptolemæi l. l. [5]) cf. supra p. 72 in. [6]) Ubi Traiani aetate collocata sit, nescimus (fortasse Oesci?). [7]) p. 187, 7; 189, 10 ed. Pinder et Parthey. [8]) p. 221, 4 Wess. [9]) or. XL 30; 31 Seeck. [10]) or. XL 32 Seeck. [11]) cf. Mommsen, Hermes XXIV p. 213 adn. 1. Utrum legio illa I Italica, quae inter legiones pseudocomitatenses magistri militum Orientis numeratur (Not. Dign. or. VII 53), pars fuerit legionis in Moesia secunda tendentis (Mommsen, Hermes XXIV p. 203, 213) an nova quaedam legio, quae cum conderetur, et milites et nomen a legione ripensi accepit, diiudicare non audeo. Hoc ei sentiendum est, qui Mommseni coniecturam (Hermes l. l. p. 213 adn. 1) probat. Sententiam vero, quam Mangold nuperrime protulit (Legionen des Orients Rhein. Mus. 57 (1902) p. 259sqq., 262), cum dixit hanc legionem

legionum ut Durostori non reperti sunt nisi legionis XI Claudiae, ita neque Novis neque locis vicinis[1]) in lucem prodierunt nisi legionis I Italicae[2]). E quibus duo cum probabilitate quadam ad alterum p. Chr. n. saeculum referri possunt: alter militis (n. 44), qui tria nomina exhibet nec non patrem aut tribum omittit[3]); alter (n. 32) veterani ex imaginifero, quem, cum filio Mampsalachano cognomen indiderit e lingua Punica petitum, ex Africa oriundum esse suspicari possumus[4]); quam ob rem — nisi eum probatum esse putas, cum Antonino Pio regnante vexillatio legionis I Italicae in Africa versabatur[5]) — probabile est eum sacramento adactum esse, antequam Hadriani fere aetate increbruit ille mos legiones ex ipsis, ubi tendebant, provinciis supplendi. Ceteri tituli quando exarati sint, nullo indicatur indicio[6]).

Iam mihi verba facienda sunt de sententia, quam Renier et Desjardins protulerunt[7]). Qui viri docti sibi persuaserunt per aliquantum temporis spatium legionem I Italicam Troesmi stativa

pseudocomitatensem initio sub imperio magistri militum Orientis fuisse atque eodem modo ac multas alias legiones (l. l. p. 261) postea demum in provincias Danuvianas delegatam esse, equidem sequi non possum, quoniam scimus illas legiones altero et tertio saeculo in provinciis Danuvianis stativa habuisse.

[1]) Inspicias sis tabulam adnexam. [2]) III 756 = n. 32; III 7438 = n. 43; III 7441 = n. 44; a. e. M. XVII p. 178 n. 20 = III 12366 = n. 73(?); tegulae III 785, 1 = n. 117; III 7617 = n. 122. [3]) cf. supra p. 32 adn. 4. [4]) Desjardins, Annali dell' Instituto 1868 p. 54 n. 45. [5]) cf. infra p. 83 sq. [6]) Cum ab altero ad quintum fere saeculum legionis I Italicae praetorium Novis fuisse videatur neque ullo praeterea loco tota legio castra habuisse demonstrari possit, nulla re impedimur, quominus Domaszewskium sequamur, qui (Religion, WDZ 14 p. 17 adn. 74) suspicatus est titulos III 6223 (n. 39), 7591 (n. 40), 6230 (n. 70) in villa ducis Mavros exstantes Novis repertos esse. Arae nn. 39 et 40 a primipilis sive bono eventui sive dis militaribus dedicatae sunt, altera anno 182, altera anno 224; n. 70 inscriptio est aedificii cuiusdam Septimio Severo imperante exstructi. Praeterea fortasse etiam III 6232 (n. 41) Novis attribui potest, quo in titulo duo milites legionis I Italicae occurrunt, quorum alter non post Hadriani aetatem probatus est (cf. etiam titulos nn. 74 et 75). [7]) Renier, Comptes Rendus de l'Académie des Inscriptions et Belles-lettres 1865 p. 272 sq.; Desjardins, Revue archéologique 2. Sér. XVII (1868) p. 257 sq. = Comptes Rendus 1868 p. 44; Annali dell' Instituto 1868 p. 58; hunc secutus est Schiller, Kaisergesch. I p. 645.

habuisse legione V Macedonica aut inde deducta (Renier) aut ibi remanente (Desjardins). Quae ut sentirent commoti sunt, quod Troesmi et utriusque legionis tituli eruderati sunt et binorum castrorum vestigia aetatem tulerunt. At constat utraque castra nunc eum statum praebere, qui certe christiani aevi est: ad muros enim aedificandos cum alia antiquitatis monumenta tum et arae aut Iovi optimo maximo[1]) aut incerto cuidam deo[2]) dedicatae[3]) adhibitae sunt et titulus Constantinianae aetatis[4]). Quare vereor, ne non colligendum sit hoc loco iam altero vel tertio saeculo bina castra exstitisse. Atque etiam si hoc demonstratum esset, tamen non appareret utraque legionum castra fuisse; in his enim legio, in illis auxilia collocata esse possunt. Hac igitur de causa neque una duas illas legiones Troesmi versatas esse putare cogimur neque legionem I Italicam totam eo venisse. — Quid autem ex inscriptionibus efficitur? Cum militum legionis I Italicae tituli Troesmi non exstent, suspicari liceret duos illos centuriones, quorum in III 6176 (n. 36) et 6185 (n. 37)[5]) mentio fit, veteranos fuisse, qui stipendiis emeritis, quo loco sibi placeret, vitam degerent, nisi una cum his titulis tegulae quoque legionis I Italicae (III 6239 c = nn. 121, 123) in lucem prodissent. Quam ob rem concludendum est partem huius legionis aliquando Troesmi moratam esse; totam autem legionem adfuisse inde non colligitur[6]). Ergo statuendum est adhuc probari non posse legionem I Italicam ibi stativa posuisse.

At quaeramus, quo tempore milites huius legionis Troesmi versati sint. Cognoscuntur haec: L. Antonius L. fil. Felix (n. 37), ut qui tribum nomini addat, secundo saeculo potius quam tertio vixit[7]); C. Valerius Firmus aut anno 173 aut non multo post Tib. Claudio

[1]) III 6162, 7498. [2]) III 7509. [3]) Sintne ausi Romani maiorum fidei dediti aras deis consecratas inter muri lapides inserere, valde dubito. Desjardins (Comptes Rendus 1868 p. 43) haec castella a Iustiniano munita esse censet. [4]) III 6174. [5]) III 6192 (n. 38) exhibet cursum honorum centurionis cuiusdam legionis V Macedonicae, qui antea in legione I Italica ordinem duxerat. [6]) C. Valerius Firmus, centurio, Tib. Claudio Pompeiano monumentum (n. 36) non totius legionis impensis faciendum curasse videtur: tum enim sive a legato legionis sive a primopilo, si aderant, dedicandum erat (cf. n. 40). [7]) cf. supra p. 32 adn. 4.

Pompeiano monumentum exegit (n. 36). His statim adiciam titulos eiusdem legionis praeterea inter Durostorum et ostia Danuvii fluminis repertos, quae regio nunc Dobrudscha appellatur. Atque — ut omittam titulos Tomis eruderatos, qui veteranorum nomina exhibent[1] — duobus tantum locis[2] exstant inscriptiones legionis I Italicae: et in vico Kalakiöï qui vocatur et ad Dinogetiam. Illic qui prodiit titulus (a. e. M. XIX p. 88 n. 28 = III 14214^{19} = n. 58), neque certa aetatis indicia prae se fert neque omnino pro argumento est, quo demonstretur huius legionis milites ibi versatos esse, cum ille optio fratri, qui qua in legione stipendia meruerit, nescimus, absens sepulcrum faciendum curare potuerit. Hic autem praeter fragmentum III 7517 (n. 46) ara quoque aetatem tulit, quam centurio quidam legionis I Italicae inter annos 161 et 169 posuerat (III 7514 = n. 33). Hoc uno testimonio nisos milites huius legionis aliquamdiu Dinogetiae tetendisse nos pro certo affirmare non posse libenter concedo; attamen, cum hic titulus eodem fere tempore exaratus sit atque Troesmensis III 6176 (n. 36) modo laudatus, non prorsus, nos a veritate aberraturos esse puto conicientes extremis annis Marci Aurelii non solum Troesmi, ubi antea praetorium legionis V Macedonicae erat[3], sed etiam Dinogetiae, ubi legionis V Macedonicae tegulae prodisse videntur[4], partem legionis I Italicae in statione fuisse. Quod optimam explicationem habet, si cum Domaszewskio[5] putamus legionem V Macedonicam, quae certe Septimii Severi aetate in Dacia castra habuit[6] neque in ullo Moesiae inferioris monumento post Marci Aurelii tempora commemoratur, bello Marcomanico exorto totam in Daciam profectam esse[7] neque inde in Moesiam redisse. Tum[8] in praesidiis Moesicis ei

[1]) III 7555 = n. 65; a. e. M. XIX p. 222 n. 87 = III 14214^{30} = n. 59.
[2]) Non in censum vocavi titulum III 6159 = 7494 anno 369 Cii positum, ubi Primani commemorantur: verisimilius enim est hos fuisse milites legionis I Ioviae (sec. Itin. Ant. p. 225, 2) Troesmi tendentis, praesertim cum illa regio tum iam non provinciae Moesiae, sed Scythiae attribueretur.
[3]) III p. 999. [4]) III 7618. [5]) Mus. Rhen. 48 p. 244. [6]) III 905 (anno 195). [7]) cf. III 7505. [8]) Nihil, si quid video, obstat, quominus titulum III 7514 (n. 33) pro victoria in bello Marcomanico aut reportata aut reportanda dedicatum esse putemus; quod bellum confici legionum Danuvianarum plus, opinor, intererat quam bellum Parthicum.

successerunt vexillationes legionis I Italicae[1]) et fortasse legionis XI Claudiae[2]).

Praeterea praesidia legionis I Italicae, quantum adhuc quidem dignosci potest, in ea tantum regione Moesiae inferioris fuisse videntur, quae a Sexantis Pristis (Rustschuk)[3]) ad occidentem et meridiem vergebat; contra quae pars provinciae inde ad orientem spectabat, eam legioni XI Claudiae attributam esse suspicari licet. Atque si tabulam, quam adnexui, inspicies, videbis stationes legionis I Italicae fuisse et in ripa Danuviana — in vico Belene (tegula III 14464^{1} = n. 124) et in vico Reka in ripa septentrionali sito (a. e. M. XIV p. 15 n. 29 = III 12522 = n. 120) et Almi (Lom), ubi praeter centurionem quendam frumentarium (III 7420 = n. 34) nuperrime innotuerunt 16 principales legionis I Italicae (Sbornik 18 p. 765 n. 65 = III 14409^{1} = n. 69)[4]) — et in collibus iis, qui Haemo monte sensim attolluntur — in vicis qui vocantur: Popovo[5]), Bederli[6]), Mekiš(?)[7]), Dermanci[8]), Altimir[9]), ubi militum tituli reperti sunt. Quibus fortasse adiungenda sunt haec loca: Hjusendže(?)[10]),

[1]) Quare nescio an non sine quadam probabilitatis specie laterculus militum III 7515 (n. 71) Dinogetiae anno fere 172 exaratus ad legionem I Italicam referatur. [2]) cf. III 6196. [3]) In hoc ipso oppido vexillationem legionis I Italicae ante Notitiae Dignitatum aetatem tetendisse nullo adhuc argumento probari potest: nam quod Domaszewski proposuit in titulo III 7472 (n. 76) fortasse legendum esse 'Marcianus 7 leg I It(alicae) vot(um) sol(vit)', iure sitne coniectum, valde dubito, cum Dobrusky, musei regii Bulgarici director, me certiorem fecerit in ipso lapide nihil cognosci posse nisi: MΛRCIΛNVS LECTI VOT·SOL (cf. III p. 2316^{48}). Idem vir doctus liberaliter me docuit in titulo a. e. M. X p. 239 n. 3 in monte Čepaň (non Tepnik) prope vicum Dragoman reperto revera exstare *ΛΕΓ Β . ΙΤΑ*: Quare hic titulus negligendus est. [4]) Hoc titulo confirmatur quodammodo sententia Mommseni (CIL III p. 992), ut qui putet Almum per aliquantum temporis spatium Moesiae inferioris finibus comprehensam esse. Quod factum esse ante Ptolemaei aetatem, qui illam regionem superiori provinciae attribuit, mihi persuasi; sed accuratius hac de re disserere longum est. [5]) a. e. M. XVIII p. 119 n. 37 = III 12442 = n. 57. [6]) a. e. M. XV p. 213 n. 90 = III 12434 = n. 68; miles quia militavit annos XIII. [7]) a. e. M. XV p. 213 n. 89 = III 12436 = n. 67. [8]) a. e. M. XVII p. 174 n. 10 = III 12394 = n. 54 inter annos 212 et 217 exaratus. [9]) a. e. M. XVII p. 216 n. 116 = III 13719 = n. 56 Alexandri Severi aetatis; cf. III 13720 = n. 64. [10]) a. e. M. XVII p. 196 n. 63 = III 12439 = n. 78.

Slatina[1]), Bjela-Slatina[2]), Kamenopolje (?)[3]), Dolnja Verenica (??)[4]), nec non Kutlovica[5]), ubi non solum anno 155 vexillatio legionis XI Claudiae versata est[6]), sed etiam paulo post, ut videtur, centurio frumentarius[7]) atque beneficiarius consularis[8]) legionis I Italicae Dianae et Apollini aras dedicaverunt.

Denique memoratu dignum videtur esse in municipio Tropaeo Traiani (hodie Adam-Klissi) omnium Moesiae inferioris legionum titulos in lucem prodisse[9]). Atque primum vexillatio legionum I Italicae et V Macedonicae ibi aram posuit (n. 63, cf. etiam n. 62). Quae vexillatio, si idem ac Tocilesco legimus, ibi versata esse videtur, antequam primis Hadriani annis legio XI Claudia in illam provinciam veniret; nam 'si qua vexillatio e complurium legionum

1) a. e. M. XV p. 207 n. 75 = III 14207^{40} = n. 66. 2) a. e. M. XIV p. 158 n. 45 = III 12388 = n. 49. 3) a. e. M. XIV p. 160 n. 54 = III 12392 = n. 72. 4) a. e. M. XIV p. 144 n. 6 = 12380 = n. 77. 5) Quem locum ad hostes repellendos esse aptissimum admonuit Jireček (Monatsberichte der Berliner Akademie 1881 p. 462). 6) III 7449. 7) a. e. M. XIV p. 145 n. 7 = III 12371 = n. 47. 8) III 7447 = n. 45: Beneficiarios plerumque militibus in statione quadam agentibus praepositos esse docuit Mommsen Eph. Epigr. IV p. 529 sq. 9) Praeter titulos legionis I Italicae n. 52, 62, 63 in censum veniunt hi:

a) III 7483 (Kokardscha prope Adam-Klissi): Deo | invicto | pro . salu(te) | Imp M . Ant . | Veri Annius ‖ Saturninus | 7 leg XI Cl | v . s . l . m |

b) a. e. M. XIX p. 86 n. 23 = III 14214^{6}: [A]el . Ant(onio) . Firmo . duumvira[li | m]unic(ipii) . Trop(aeensium) . patri . [et] . Aeliae . Qui|rillae . sorori . Ael(ius) . Ant(onius) . Sabi|nus . duumvir . munic(ipii) . s(upra) . s(cripti) . | [et A]el(ius) . Ant(onius) . Aeternalis . sig[nif ‖ l]eg(ionis) . XI Cl(aud) b(ene) . m(erenti) . p(osuerunt) .

c) Tocilesco, Rech. arch. p. 194 n. 13 = III 14214^{1}: I o m Her(culi) in[victo] | Cer(eri) Lib(ero) . patr | pro sal(ute) Imp Caes | T . Ael . Hadr(iani) . Ant(onini) . Aug . Pi(i) | et . Aur(elii) . C(a)es liber(orum)q(ue) eo(rum) ‖ T Vitrasio Pollioni | leg Aug pr pr | M . Stabius . M . f . fil (sic) Fab(ia) Colonus de Luca | trib mil leg XI Cl(audiae) . d . d

d) III 13736: [ex excep]tore cos . leg . XI Cl . . u . . na et Aeliae Dent[illae . . . . | . . . . si qui]s v[ol]uerit a[li]us . hic po[nere] vel [i]n terris . meis . da[r]e [debebit . .

e) Tocilesco l. l. p. 198 n. 20 = III 14214^{10}: D . M . | C . Iul . C . fil . Va|lens . 7 . leg . V Mac | dom(o) . Amasia | vix . an . L . mil . ‖ an . XXX Valer(ia) | Front . tina . | [c]on[i]ugi . et | [I]ul(ia) . Ha . dri . ana | Iul(ius) . Iu . lianus ‖ [C.] Iul(ius) . Valentinus | fili . pa . tri . | pi . en . tis . simo | po . su . erunt.

militibus constabat, ex omnibus eiusdem provinciae legionibus milites eligi solebant'[1]). Quare fortasse suspicatur quispiam eam occupatam esse in aedificando magnifico illo Tropaeo, quod, ut victoriae memoriam consecraret, Traianus exstruxit. Sin autem facimus cum Domaszewskio, qui CIL III 14433 edidit, hanc vexillationem non ante bellum Marcomanicum Tropaeum Traiani venisse putandum est, quod antea legio V Macedonica, cum in Moesia inferiore tenderet, cognomine Dacicae ornata esse non potuit. — Tum posteris temporibus[2]) et tribunus et centuriones ibi morabantur, e quibus unum[3]) ante missionem mortuum esse tantum non certum est. Causae huius rei duae mihi suppetunt: Loco illo totius provinciae sacratissimo aut centuriones monumentum illud celeberrimum visendi causa[4]) adesse partimque ibi considere potuerunt[5]) aut honoris causa, ut ita dicam, vexillatio omnium provinciae legionum ibi in statione erat.

3. De rebus a legione gestis.

Legio cum per saecula in Moesia morata sit, consentaneum est eam ad omnia bella in provinciis Danuvianis gerenda imprimis accitam esse. Tamen iniquitate temporum factum est, ut perpauca tantum pro certo affirmare possimus.

Ante Traiani aetatem quibus bellis legio implicata sit, nullo, nisi quid oculos meos fugit, comprobatur antiquitatis monumento. Unus tantum exstat titulus, qui num ad Domitiani bellum Dacicum referendus sit, ambigitur[6]): Tib. Claudius Vitalis enim centurio legionis I Italicae donis donatus est bello Dacico atque iterum centurio legionis I Minerviae factus iisdem donis bello Dacico: utroque loco nomen imperatoris, a quo donis ornatus est, silentio

1) Ritterling, WDZ 12 p. 117 sq. + adn. 39. 2) Antonino Pio regnante: p. 78 adn. 9 a et c; non ante Commodum: a. e. M. XVII p. 103 n. 44 = III 12468 = n. 52 propter formulam 'in hon . d . d .' (cf. Wilmanns, Exempla n. 81). 3) p. 78 adn. 9 e. 4) Memento quaeso centuriones saepissime Memnonis statuam Thebis Aegyptiacis exstantem adisse, cf. e. g. III 42 (n. 110). 5) Etiam centurio quidam legionis XIII Geminae (III 14214^{8}) ibi diem supremum obiit. 6) VI 3584 = n. 84.

praetermittitur. Quod viris doctis testimonio esse solet imperatorem illum memoriae damnatione esse affectum. Quam sententiam qui profitetur, ei putandum est Vitalem Domitiano imperatore stipendia meruisse. Accedit, quod legio I Minervia hac in inscriptione nondum cognominibus ⟨piae fidelis⟩ praedita est, quae Saturnini seditione repressa anno 89 accepit[1]); contra legioni VII Claudiae illa cognomina adscribuntur. At cum titulus ipse iam non servatus sit veteraque illa apographa, quibus inscriptio debetur, vitiis scateant[2]), facillime fieri potest, ut etiam in verbo MINER mendum aliquod lateat atque pro litteris ER potius scribendum sit PF, praesertim cum ceterae legiones usitatis illis compendiis duarum, trium, quattuor litterarum laudentur. Neque alterum illud stare posse confido: nam etiam optimorum imperatorum nomina omissa esse discimus e titulis ad calcem paginae allatis[3]). Imperatoris autem nomen apponere ei,

[1]) Schilling l. l. p. 6sqq.; Ritterling, WDZ 12 p. 203sqq. [2]) Exempli causa afferam: v. 1: EX . EQ . VETER vel EXQVE . VETER pro EX . EQVITE . R; v. 3: LEG . PHAL pro LEG I ITAL; v. 6: MER pro ITER. Litteram F autem, partim detritam, etiam a viris artis epigraphicae peritissimis pro littera E esse acceptam cognosces e titulo VIII 7014 ab Hirschfeldio (Sitzungsberichte der Berliner Akademie 1901 p. 588) emendato; eodem modo littera F e littera F nasci potuit.
[3]) III 1193: C . Iul . C . fil Thevest | Corinthiano praef | coh . VII Gall . tribun | coh . I . Britt . item . vexil(lationis) | Dacor(um) . Parthic(ae) . cui ‖ ob . virtute . sua . sacra|tissimi . imper . coro|nam . muralem . hastam | puram . et vex[il]lum argent(o) | insignem dederunt . ‖ praef . alae etc. (sub Septimio Severo et Caracalla).
V 531: [C] Calpe[tano] | Ran[tio] | Quirinal[i | Va]lerio . P . f . Pomp . F[esto | IIII] vir . viár . curand . t[r . mil ‖ le]g . VI . Victr . quáestori . se[viro | equ]it . Romanor . tr . pleb . prae[tori | soda]li . August . leg . pro . praet . ex[ercit(us) | Afri]cae (scil. annis 69 et 70) . cos (a. 71) . donato . ab . imper[atore | hastis] puris . IIII . vexillis . IIII . co[ronis ‖ IIII v]allari . murali . classica . a[urea | cura]tori . alvei . Tiberis . et . ripa[rum etc. (sub Vespasiano; longitudo versuum determinatur v. 10/11).
V 5832: P . Tutilius . P . f . O[uf] | veteranus . sign[ifer] | aquilifer . leg . V ... | curator . vete[ran] | accepit . ab . impe[ratore] ‖ praemia . dupl[icia] | natus . est . A . Hirtio [. A . f . C] | Vibio . Pansa . cos (43 a. Chr. n.) . de[cessit] | C . Fufio . Gemino . L . Ru[bellio] | Gemino . cos (a. 29 p. Chr. n.) sibi [et] ‖ P . Atecingi . f . etc. (sub Augusto; versuum longitudo cognoscitur e v. 9).

qui inscriptionem composuit, vel propterea supervacaneum videri potuit, quia centurio, cum XI tantum annos militaret, mortuus est ante Traianum, a quo eum donis donatum esse suspicor. Ab altera parte legionem I Minerviam Domitiani bello Dacico interfuisse neque demonstrari potest neque probabile est, quod primo p. Chr. n. saeculo imperatores Romani[1]) tironum legiones non statim bello implicare solebant: legio enim III Cyrenaïca in Arabiam abducitur, legio II Traiana in Aegypto collocatur[2]); legio I Minervia ipsa creata esse videtur, cum legio XXI Rapax e Germania inferiore in superiorem provinciam transferretur ad bellum Chatticum gerendum[3]); legiones XV et XXII Primigenias a Claudio non in Britanniam missas, sed Germaniis attributas esse colligitur[4]); legio IV Flavia initio in Dalmatia castra posuit[5]). Contra utroque bello Dacico Traiani legionem I Minerviam praeclaras res gessisse dilucide demonstratur scriptorum monumentorumque consensione[6]). Itaque mea quidem sententia verisimilius est hunc titulum ad Traiani aetatem

VIII 217: [M . Petronius . Fortunatus] ... | militavit etc. etc. 7 leg . II . Par . 7 leg . I . Adiutricis | consecutus . ob virtutem in | expeditionem Parthicam ‖ coronam muralem vallarem | torques et phaleras agit in | diem operis perfecti annos LXXX etc.
X 6321: Q . Roscio . Sex f | Quir . Coelio . Murenae | Silio . Deciano . Vibullo | Pio . Iulio Eurycli . Herclano | Pompeio . Falconi . cos (a. 109) ‖ XV . vir . s . f . pro . cos . provinc . Asiae . leg . pr . pr | imp . Caes . Traiani . Hadriani . Aug . provinc | Brittanniae . leg . pr . pr . imp . Caes . Nervae | Traiani . Aug . Germanici . Dacici | [pr]ovinc . Moesiae . inferior . etc. etc. leg . leg . V . Macedonic(ae) | [in bello Dacico donis militari]bus . donato | ..... (Imperatoris nomen inserere exiguitate spatii prohibemur; desideratur nomen Traiani, cum Roscius anno 97 trib. pleb. des. esset [Plin. ep. I 23], quo munere ante legationem legionis V Macedonicae functus est [cf. Dessau n. 1036]).

[1]) excepto Nerone, qui legionem I Italicam constituit, ut expeditioni ad portas Caspias suscipiendae interesset. [2]) Schilling l. l. p. 17; Trommsdorff l. l. p. 16—20. [3]) Ritterling, diss. p. 72sq.; Trommsdorff l. l. p. 66 adn. 1. [4]) Schilling l. l. p. 17; Cagnat, Daremberg et Saglio, Dictionnaire l. l. p. 1087, 1089; Weichert l. l. WDZ XXI (1902) p. 126sqq., 146sq. [5]) cf. supra p. 52sq. [6]) Schilling l. l. p. 47sqq.; Cichorius, Die Reliefs der Traianssäule, Textband II (Berlin 1896) p. 227sq., 368sq., III (Berlin 1900) p. 171, 253.

pertinere[1]). Cum autem Claudius Vitalis bis dona militaria acceperit, primum centurio legionis I Italicae, tum centurio legionis I Minerviae, cumque Traianum bello demum confecto legionarios donis ornasse suspicari liceat[2]), fortasse sibi persuadebit quispiam Vitalem priore bello Dacico ordinem quendam legionis I Italicae duxisse. Atque arridet huic sententiae, quod in columna quoque illa Traiani legionem quandam Moesiae inferioris (optio datur inter I Italicam et V Macedonicam) ad belli sedes advenientem videmus[3]).

Bellis Dacicis Traiani etiam C. Nummium Verum (XI 3100 = n. 20) tribunatu legionis I Italicae functum esse probabile est, cum hanc legionem ad bellum Parthicum gerendum arcessitam esse adhuc nullo demonstretur argumento[4]).

Primis Hadriani annis legionibus Moesiae inferioris cum Rhoxolanis pugnandum erat; quibus in proeliis legionis quoque I Italicae milites cum hostibus manus conseruisse summa cum probabilitatis specie conici potest, pro certo autem affirmari nequit.

Tum pergravi Iudaeorum seditione exorta legiones huius provinciae vexillationes ad rebelles opprimendos miserunt. In oppido enim Bettir, prope Hierosolyma sito[5]), quo anno 135 ceteris locis iam a Romanis occupatis Barcochba confugit atque, quoad potuit, victoribus restitit, inscriptio exstat vexillationis cuiusdam legionum V Macedonicae et XI Claudiae[6]). Quae vexillatio quia e plus unius legionis militibus electa est, putandum est utramque legionem

---

[1]) Idem sentit Schilling (l. l. p. 47) nulla indicta causa. [2]) Cichorius, Traianssäule, II p. 215 sq. [3]) Cichorius, Traianssäule, II p. 223 sqq.; anno p. Chr. n. 102. [4]) Tegulae Drobetae repertae (III 8072 = n. 125) utrum Domitiani an Traiani bellis Dacicis an Marci Aurelii bello Sarmatico an alia occasione coctae sint, incertum est. Tegulae prope vicum Draschna-de-sus eruderatae (a. e. M. XIV p. 14 n. 25—28 = III 12530 a = n. 126) non ad Traiani aetatem spectant, cum hic in illas regiones omnino non venisse videatur (id quod primo oculorum obtutu cognosces e tabulis, quas Cichorius op. cit. vol. II et III adnexuit). Ara vero III 889 = n. 108, quippe quae Potaissae in lucem prodierit, priore bello Dacico posita esse nequit, cum altero demum bello Traianus copias Marisiam traduxerit; verisimilius autem esse eam ad posteriorem aetatem pertinere infra p. 87 adn. 2 admonebo. [5]) cf. Schürer, Geschichte des jüdischen Volkes I 3/4 p. 693 sqq. [6]) Clermont-Ganneau, Bibliothèque de l'École des hautes Études 44 p. 141; Id., Archaeological Researches in Palestine I p. 465; CIL III 14155 [2] (cf. 13586) = n. 113.

eo tempore in eadem provincia tetendisse[1]). Quod cum nunquam acciderit nisi inter annum 100 et Septimii Severi aetatem vel potius inter Hadriani bellum Rhoxolanorum et Marci Aurelii bellum Marcomanicum[2]), neque illis annis aliud bellum tam grave exarserit[3]), ut aliunde legionarios in Palaestinam auxilio arcessere opus esset, summa cum probabilitate colligitur[4]) illam vexillationem Hadriano regnante in oppidum Bettir venisse, quippe quo loco tum sedes belli esset. Cum autem mos fuisse videatur Romanorum, ut, si qua vexillatio e compluribus eiusdem provinciae legionibus legebatur, omnes, quae in eadem provincia versabantur, legiones milites praeberent[5]), nescio an verisimile sit non solum legionum V Macedonicae et XI Claudiae, sed etiam I Italicae milites tum in Iudaeam translatos esse huiusque quoque legionis nomen in titulo illo exstitisse. Utrum autem, ut van de Weerd coniecit[6]), illud ET (in verbis 'leg . V . Mac . et XI . Cl') aut depravatum aut male lectum sit pro IT an, id quod probabilius est, huius legionis mentio in versu sequenti nunc detrito lateat, in medio relinquo.

Antonino Pio imperante gentes provinciis Danuvianis finitimae in pace perseverabant. Itaque ut Hadriani temporibus contra Iudaeos, ita Antonini Pii aetate contra Mauros rebelles legionibus in ripa Danuviana collocatis vexillationes mittere licebat. Atque Jünemann[7]) luculentissima et sagacissima dissertatione docuit vexillationes Germanicarum (I Min., XXII Primig.), Pannonicarum (I Adi., II Adi.), Moesiacarum (IV Flav., XI Claud.) legionum, quas in Africa versatas esse e titulis cognoscimus, ab Antonino Pio ad Mauros debellandos eo translatas esse. Huic sententiae novum, ut ita dicam, fundamentum

---

[1]) Grotefend, Bonn. Jahrb. 26 (1858) p. 126 sq.; Domaszewski, Rhein. Mus. 47 (1892) p. 215 adn. 2. [2]) cf. supra p. 51 sq., 59, 76 extr. [3]) cf. Schürer, Geschichte des jüdischen Volkes I 3/4 p. 660 sqq., p. 702. De bello Iudaico Septimio Severo imperante gesto vel propterea cogitari nequit, quia haec seditio anno 195 (= ab Abr. 2213) exorta, anno 198 sedata est (cf. Wirth, Quaestiones Severianae diss. Bonn. 1888 p. 10 sq., 29 sqq.), legionem V Macedonicam autem iam anno 195 in Dacia moratam esse certum est (III 905). [4]) van de Weerd, Musée belge 1900 p. 47 sqq. [5]) Ritterling, WDZ 12 p. 117 sq. [6]) l. l. p. 54 sq. Admonendum vero est non cum hoc viro docto pro fundamento adhibendum esse apographum a Cagnatio (l'année épigraphique 1896 n. 53) publici iuris factum, quonaim ibi typothetae errore illud 'et' bis positum est. [7]) l. l. p. 82 sqq., 135 sqq.

substruxit van de Weerd[1]), cum ostendit milites in titulis VIII 9761 et 9765 laudatos nullo omnino praeterea tempore eo pervenire potuisse. Ad hanc expeditionem cum etiam milites legionis XI Claudiae in Moesia inferiore tendentis delegarentur, mea quidem sententia fieri potuit, ut e legione quoque I Italica milites eo accirentur. Et duae exstant tegulae, altera in museo Constantinensi (VIII 10474, 13 = n. 127), altera in museo Sangermanensi (VIII p. 911 = n. 128) servata, utraque in Africa reperta. Qua de causa verisimillimum esse puto revera tum huius quoque legionis milites in Africam missos esse neque quicquam inveniri posse arbitror, cur cum Wilmannsio[2]) illarum tegularum auctoritatem infitiemur.

Deinde Marco Aurelio imperatore periculosissimum illud atque gravissimum post hominum memoriam bellum Marcomanicum, quod vocatur, exarsit, quo omnes provinciae Danuvianae flagrabant. Hoc bello legionem I Italicam implicatam esse discimus e titulo VIII 2582 = n. 1 cum VIII 2744 et 2745 (n. 1a, b) collato. Nam A. Iulius Pompilius A. f. Cornelia Piso T. Vibius Laevillus Berenicianus, qui anno 177[3]) legatus pro praetore et legionem III Augustam et provinciam Africam regebat, non multo ante, cum legatus legionis IV Flaviae esset, simul legionibus I Italicae et IV Flaviae omnibusque

[1]) l. l. p. 55 sqq. [2]) Qui vir doctus (VIII p. 911) nulla adiecta causa profitetur sibi probabilius videri tegulam Sangermanensem Troesmi, ex oppido Moesiae, esse advectam. Mecum autem consentire reor Domaszewskium, ut qui, cum tegulas Moesiae inferioris ederet, illius tegulae mentionem non fecerit. [3]) Wilmanns cum ederet titulum VIII 2547, „quem tricesimo anno tribuniciae potestatis Marci Aurelii Berenicianus leg. Aug. pr. pr. provinciae Africae dedicavit, veterani annis 152 et 153 probati voverunt (cf. etiam VIII 2744 = 1[a]), adnotavit annum p. Chr. n. 176; eum Dessau (Prosopogr. Rom. II p. 207 I 322) secutus est. At e nummis cognoscitur annum XV tribuniciae potestatis non solum mense Decembri anni 160, sed etiam anno 161 fuisse (Cohen III[2] p. 76 n. 771, 773—783; cf. Klebs, Prosopogr. I p. 73 A 537); quare cum, qui annis 152 et 153 tirones facti sunt, eos non ante annum 177 honesta missione missos esse verisimile sit (cf. Serv. ad Aeneidem II 157; Mommsen, Eph. epigr. IV p. 510 adn. 1, Marquardt, St. V. II[2] p. 542 adn. 6; CIL III 6580, 14507, VIII 18067), equidem puto Berenicianum anno 177 provinciae praefuisse; quocum congruit titulus VIII 2488 M. Aurelio et Commodo imperantibus positus. Idem sentit Goyau (Chronologie de l'Empire Romain p. 228), cum Berenicianum anno 178 consulem suffectum fuisse censeat.

auxiliis praepositus est eique ius gladii datum est, id quod praesidibus tantum provinciarum concedebatur[1]). Cum autem legio I Italica in Moesia inferiore, in superiore legio IV Flavia stativa habuerit, summa cum veritatis specie colligitur[2]) eas ad expeditionem quandam contra Marcomanos, ut ita dicam, suscipiendam coniunctas esse neque abhorret a probabilitate Berenicianum loco legati pro praetore Daciae aliquamdiu praefuisse. Atque fieri potuisse, ut Bereniciano duce legio I Italica Claudio Frontone anno 170 trucidato per Tsiernam et Tibiscum ad angustias, quibus hodie ⟨Eisentorpass⟩ nomen est, progressa coloniam Sarmizegetusam ab hostium impetu defenderet, Domaszewskio libenter concedo, quamquam tenendum est etiam hac in re aliquid certum adhuc statui non posse. — Praeter Berenicianum alterius quoque ducis belli Marcomanici nomen in monumentis legionis I Italicae occurrit: Ti. Claudii Pompeiani (III 6176 = n. 36). Quocum C. Valerium Firmum, centurionem huius legionis, nescio quomodo pietate coniunctum esse apparet. Inde autem concludere legionem I Italicam aliquando sub Pompeiani imperio fuisse mea quidem sententia non licet; fieri enim potuit, ut Valerius, cum alia in legione stipendia mereret, in praetorium sive Pompeiani sive Marci Aurelii[3]) delegaretur.

Ad Daciam defendendam ut legio I Italica Bereniciano duce profecta est, ita eiusdem legionis vexillatio una cum vexillationibus[4]) legionum XI Claudiae et V Macedonicae in eadem provincia tendentibus eam partem Carpatum montium, quae inter meridiem et ortum solis spectat, tutata esse videtur: in vico enim Draschna-de-sus, prope Valeni-de-munte sito, per quem locum etiam saeculo p. Chr. n. duodevicesimo viatores aut ad angustias Bosaupass quae vocantur aut ad vallum prope oppidum Kronstadt exstructum

[1]) Mommsen, St.-R. II[3] p. 270; cf. p. 968; I[3] p. 434 adn. 6. [2]) Domaszewski, Zur Chronologie des bellum Germanicum et Sarmaticum, Neue Heidelberger Jahrbücher V (1895) p. 116. [3]) Pompeianum imperatorem semper comitatum esse cognoscitur e columna divi Marci (cf. Petersen, Domaszewski, Calderini, Die Marcussäule auf Piazza Colonna in Rom, München 1896 p. 43; Domaszewski, Neue Heidelberger Jahrbücher V p. 118 adn. 4). [4]) Inde elucere omnes tres legiones totas ibi adfuisse vix quemquam Schmsdorfio (Die Germanen in den Balkanländern bis zum Auftreten der Goten, Leipzig 1899, p. 51) concessurum esse puto.

proficisci solebant[1]), in lucem prodierunt tegulae legionum V Mac., XI Claud., I Ital. cohortisque cuiusdam Commagenorum[2]). Has bello Marcomanico coctas esse mihi persuasi: nam Traianus cum Dacos subigeret, non iam eo venisse videtur[3]); neque ii viri docti[4]) me convicerunt, qui putant totam illam regionem partem fuisse Moesiae inferioris atque propterea huius provinciae milites ibi in statione fuisse[5]). In eo enim tractu, qui a limite Alutano orientem versus vergit, nullo quantum scio loco rudera Romani aevi exstant nisi aut in ipsis Carpatum vallibus aut in ripa Danuviana[6]). Quare illa castella ad Daciam, haec ad Danuvii transitus tuendos exstructa esse possunt. Accedit, quod duobus vallis Dacia Maluensis a barbarorum sedibus iis, quae orientem versus spectabant, separabatur; quorum alterum Hadriano imperatore factum[7]), Septimio Severo imperante novis adiectis castellis firmatum esse videtur[8]), alterum secundo saeculo exeunte exaggeratum esse Tocilesco suspicatur[9]). Hic limes autem certe non exstructus esset, si illa regio Transalutana[10]) artiore quodam vinculo cum Moesia inferiore coniuncta

---

1) Jung, Zur Geschichte der Pässe Siebenbürgens, Mitteilungen des Instituts für österr. Geschichtsforschung, 4. Ergänzungsband, Innsbruck 1893 p. 6 adn. 4, qui admonet angustias Bosaupass quae vocantur iam Romanorum aetate castello ad vicum Komollo sito munitas esse. 2) a. e. M. XIV p. 14 n. 25—28 = III 12530 (cf. n. 126). 3) cf. supra p. 82 adn. 4. 4) Domaszewski, a. e. M. XIII p. 137; Tocilesco, a. e. M. XIV p. 14sq. priore loco; Cichorius, cohors, Pauly-Wissowa, Realencycl. IV p. 274; cf. tabulas Kiepertianas. 5) Propter tegulas cohortis illius Commagenorum non cogimur, opinor, cum Cichorio l. l. censere illud castellum iam Hadriani vel Antonini Pii aetate exstitisse; nam et fieri potuit, ut illa cohors legionum vexillationibus succederet atque tum demum ibi collocaretur, cum in Dacia castra posuerat, neque omnino certum est, utrum hic nomen cohortis I Flaviae Commagenorum lateat an alterius cuiusdam Commagenorum cohortis, e quibus tres in Dacia hibernabant (una prope Héviz, in eadem parte Daciae), duae ubi tetenderint, ignoratur. 6) cf. CIL III Suppl. tab. IV; Tocilesco, rech. arch. tab. post p. 118 insertam; inscriptiones non innotuerunt nisi in vicis Draschna-de-sus, Reka, Gerthina (Dinogetia), Kartal. 7) a. e. M. XIV p. 13sq. n. 21, 22 + XVII p. 226 = III 12601 + 13793 = Tocilesco, rech. arch. p. 135; a. e. M. XVII p. 224 n. 1 = III 13795 = Tocil. l. l. p. 128; a. e. M. XVII p. 225 n. 2 = III 13796 = Tocil. l. l. p. 129; a. e. M. XVII p. 82 n. 2, 3 = III 12604sq. = Tocil. l. l. p. 135 n. 3. 8) Toc. l. l. p. 120 = III 13800. 9) Toc. l. l. p. 122. 10) Eam in provinciae formam non redactam esse,

atque in perpetuum vexillationibus exercitus Moesiaci occupata esset[1]). Quibus causis commotus equidem puto illud Carpaticum castellum ad Daciam defendendam munitum esse, atque, cum ab alienae provinciae militibus non solum obtentum, sed etiam aedificatum esse videatur, verisimile est id bello Marcomanico originem debere[2]).

Sub finem alterius p. Chr. n. saeculi[3]) legio a Septimio Severo stetit. L. Mario Maximo duce, qui cum legatus legionis I Italicae esset, toti Moesiaco exercitui praefectus est (VI 1450 = n. 8), cum ceteris Moesiae copiis contra Pescennium Nigrum profecta Byzantium obsidione clausit. Deinde, cum Septimius Severus ipse bellum in Asiam Syriamque transferret, Marius Maximus Byzantium per tres fere annos circumsedit neque prius cepit[4]) quam Severus Nigro iamdiu interfecto Arabiam, Adiabenen, Osrhoenen bello vexatus est. Quandoquidem autem Marius Maximus non solum 'apud Byzantium dux Moesiaci exercitus' erat, sed etiam paulo post in expeditione contra Albinum suscepta eidem exercitui praeerat (VI 1450 = n. 8), verisimillimum est cum copias Moesiae inferioris, tum legionem I Italicam, cuius legatus Maximus fuerat, ad Byzantium remansisse neque Severum in Asiam comitatam esse. Quare factum esse non potest, ut Valerianus ille, qui ad portas Cilicias Nigrum fudit atque fugavit[5]), si modo idem est atque M. Fabius Magnus Valerianus[6]),

---

quod a Rhoxolanis tenebatur, suspicatur Domaszewski, Der Völkerbund des Markomanenkrieges, Serta Harteliana (1896) p. 10 adn. 1.

1) Quod factum esse Sehmsdorf l. l. p. 64, 69sq. ipse quoque negat. 2) Huc etiam titulum III 889 (n. 108) Potaissae repertum referre malim quam ad Traiani bellum Dacicum (cf. supra p. 82 adn. 4), cum cognomen solum adhibitum posterioris aevi indicium sit; (militem enim ibi laudatum Drebiam, non D. Reb ... Ias ... appellatum esse Cumont admonuit ad titulum a. e. M. XVII p. 21 n. 12 (= III 13768), ubi Aurelius quidam Drebias commemoratur). 3) Nescio an memoratu dignum sit nos e verbis Capitolini (vit. Albini 6, 2: egit et legionem quartanorum et primanorum) colligere non posse Albinum legionis I Italicae legatum fuisse, id quod sentit Liebenam, Verwaltungsgesch. I p. 106, Fiedlerum, Bonn. Jahrb. 25 p. 67, secutus, quoniam tum plus una legio eodem numero praedita erat; cf. quae admonuit O. Hirschfeld, a. e. M. VIII p. 28sq. 4) Dio 74, 8, 3; 10—12; Wirth, Quaestiones Severianae, diss. Bonn 1888, p. 9, 10, 28sq. 5) Dio 74, 7. 6) cf. Prosopogr. II p. 47 F 34.

qui duobus Augustis [1]) regnantibus legioni I Italicae praeerat (XI 2106 = n. 7), etiam tunc legatus huius legionis esset. — Byzantio anno 196 expugnato Marius Maximus statim per Pannonias, Noricum Raetiamque in Galliam contendit, ut Clodium Albinum rebellantem opprimeret, atque gravissimae pugnae ad Lugdunum a. d. XI Kal. Mart. 197 [2]) commissae intererat. Tum igitur legio I Italica in eandem fere regionem ad aemulum imperii debellandum accita est, quo iam vere anni 68 a Nerone missa est, ut imperatorem a suis legatis defenderet [3]).

Alterum quoque exstat testimonium, quo dilucide demonstratur Severi et eorum, qui successerunt, aetate milites huius legionis strenue sese gessisse: Nulla enim e legione plures milites in cohortes praetorias translatos esse quam e legione I Italica nescio an etiam nunc e numero inscriptionum, quae aetatem tulerunt, suspicari liceat. Nam ex iis militibus praetorianis, qui se antea in legione quadam stipendia meruisse profitentur — titulos ad hanc aetatem spectantes collectos invenies a Bohnio [4]) — tres (i. e. 16,67 %) in legione I Italica probati sunt (VI 2601 = n. 80, 2785 = n. 81/82, 2803 = n. 83), bini (11,11 %) in legionibus VI Ferrata (VI 210, X 532) et XIII Gemina (IX 1609, Bramb. 1017) atque fortasse VII Claudia (Bramb. 1077, VI 2673), singuli (5,56 %) in legionibus II Italica (VI 2672), VII Gemina (II 2664), X Gemina (VI 2437), XIV Gemina (VI 2758); quinque (27,78 %) legionem non indicant (VI 2759, 2605, 2697, 2772, 2977), de quibus unus (VI 2759) militavit in legione quadam Moesiaca. Hoc autem honore optimus quisque et fortissimus dignus putabatur.

Tertio p. Chr. n. saeculo quibus bellis legio implicata sit, nullo adhuc antiquitatis testimonio indicatur. Attamen consentaneum est eam Gothis ceterisque barbarorum gentibus in Moesiam inferiorem irrumpentibus imprimis restitisse omnibusque proeliis in provinciis Haemo monti adiacentibus commissis interfuisse. Praeterea autem etiam extra Moesiae inferioris fines vexillationes delegavit. Atque primum in Italia tum saepissime sive contra barbaros invadentes sive contra regnum adfectantes pugnatum est; itaque fieri potuit,

---

1) Quos Marcum Aurelium et Commodum potius fuisse quam Severum et Caracallam Wilmanns, Exempla n. 1193 adn. 3, censet. 2) Spartiani vita Sept. Sev. 11, 7. 3) cf. supra p. 33 sq. 4) Bohn, Über die Heimat der Praetorianer, Schulprogramm, Berlin 1883 p. 12 sqq.

ut legionis quoque I Italicae milites eo arcesserentur, praesertim cum constet etiam legionum Pannonicarum I et II Adiutricium vexillationes ibi moratas esse [1]). Huc pertinere videtur titulus V 914 (n. 90) Aquileiae repertus [2]), nisi eum propter nomen filii Stercorii ad christianam aetatem referre vis. Nam quamquam probabile est ibi stipendiorum numerum non recte traditum esse, tamen Flavium Augustalem, cum XLI annos vixerit, militem potius quam veteranum fuisse arbitror. Qua autem occasione Aquileiam venerit, enucleari nequit, cum ad hoc municipium saepissime sive exercitus sive vexillationes missae sint [3]).

Tum in Dalmatia vexillationem legionis in statione fuisse certum est: Hac enim in provincia tot inscriptiones cum beneficiariorum [4]), tum militum [5]) legionis I Italicae in lucem prodierunt, ut iam Mommsen [6]) statuere posset hac e legione non solum singulos officiales, sed vexillationem eo missam esse. Illi milites quo tempore stipendia meruerint, elucet e titulo n. 100, ubi legioni cognomen Severianae inditur [7]), et e titulo n. 103, qui anno 225 positus est. Ceterae autem inscriptiones, quae plerumque Aureliorum sunt, nihil si quid video exhibent, cur eas quoque ad hanc aetatem referre

---

1) Gündel l. l. p. 62 sq. 2) Quocum titulo nescio an coniungendus sit XI 245 (n. 86) Ravennae eruderatus. Contra V 7667 (n. 91) nullius momenti est, cum soror militis legionis I Italicae sepulcrum totius familiae faciendum curaverit. Eum propter nominum formam, tribum patremque adhibitum primo saeculo attribuam, quo tempore Italia legionarios praebebat (cf. supra p. 31). Titulus denique XIV 3631 (n. 85) non in censum venit, cum militi legionis I Italicae a fratre positus sit. 3) cf. Gündel l. l. p. 63, qui testimonia congessit. 4) III 1906 = n. 94, III 2023 = n. 98, III 1781 = n. 103, III 14631 = n. 102. 5) III 2008 = n. 95, III 2009 = n. 96, III 2010 = n. 97, III 8719 = n. 104, bull. Dalm. XIV p. 65 n. 32 = III 12899 = n. 100. Bis (nn. 96 et 100) bini milites in eodem monumento occurrunt. Titulos autem nn. 103 et 104 huc rettuli, quamquam numerus legionis excidit, cum et compendium I†AL facillime pro ITAL legi potuerit neque legionum II et III Italicarum in titulis Dalmaticis mentio fiat (in III 1980 + 8570 legiones II Pia et III Concordia exstant). 6) III p. 283. De militibus legionariis in Dalmatiam delegatis egit praeterea: Patsch, Römische Straßen in Bosnien und der Herzegovina I (Wien 1893) p. 57 sq., Wissenschaftliche Mitteilungen aus Bosnien V (1897) p. 338 sqq., VI (1899) p. 175, VII (1900) p. 39, 85 sqq. 7) De hoc cognomine cf. Wilmanns, Exempla n. 1459 adn. 2.

prohibeamur. Quae cum ita sint, statim summa cum veritatis specie contendi potest legionem non totam adfuisse, cum Alexandro Severo regnante (anno 224) primum pilum legionis in ipsa Moesia inferiore fuisse constet (III 7591 = n. 40).

Quo vero vestigio temporis vexillatio illa in Dalmatiam venerit quandoque inde discesserit, nos adhuc prorsus ignorare concedendum est; quae conici possunt, liceat afferre: Cum tot tituli[1]) militum ibi aetatem tulerint, mea quidem sententia putandum est illam vexillationem aut per aliquantum temporis spatium ibi versatam esse aut bello aliquo implicatam esse; fieri autem potuit, ut utrumque eveniret. Atque primum quattuor milites (n. 95, 97, 98, 104) familias secum adduxerunt: inde efficitur, opinor, ut non ad aliquam expeditionem brevi tempore conficiendam in Dalmatiam profecti sint[2]), sed eo consilio hanc in provinciam venerint, ut aliquot annos ibi in statione essent.

Deinde haec admonenda sunt: Aurelius Pontianus (n. 97) XXVI enumerat stipendia, Aurelius Martialis (n. 95) XXVII; quorum neuter stipendiis emeritis[3]) honesta missione missus est, id quod optimam habet explicationem, si putamus belli periculosissimi gerendi causa militibus quamvis multis opus fuisse. T. Fl(avius) Sab[inus] (n. 94) Fort(unae) R[educi] aram dedicat: Qui cum se votum solvere fateatur, verisimilius est eum post reditum deae gratiam rettulisse quam antea, ut deam propitiam redderet, aram posuisse. Atque cum beneficiarium quendam consularem legati Dalmatiae e legione quadam Danuviana accitum non tanta pietate cum imperatore coniunctum esse putandum sit, quanta e. g. militem praetorianum, probabilius est eum votum solvisse non quia imperator ex expeditione quadam redierat, sed quod aut legatus provinciae aut, id quod verisimillimum est, ipse sanus ac salvus a dis ex expeditione reductus erat. Fortasse eodem spectat, quod Aurelius Martialis (n. 95) cum uxore et filio 'uno fato deceptus est'. Nonne enim haec familia ab hostibus in provinciam irrumpentibus trucidata esse potest? Quae si recte enucleavi,

[1]) Novem titulis supra allatis adiunguntur duo fragmenta: III 2032 = n. 99, bull. Dalm. XVII p. 101 = III 13909 = n. 101. [2]) Herod. 8, 5, 8 refert e. g. legionem II Parthicam in exercitu Maximini fuisse, uxores autem liberosque in monte Albano relictos esse. [3]) XXV annos legionarii militare solebant; cf. supra p. 84 adn. 3.

nescio an conicere liceat tum, cum vexillatio legionis I Italicae in Dalmatia versabatur, bellum ibi exarsisse: fortasse hostes in illam provinciam invaserunt atque a militibus Romanis non solum repulsi, sed etiam ultra provinciae fines persecuti sunt. Et — ut ad rerum scriptores recurramus — Lampridius[1]) refert aetate Alexandri Severi, quo regnante milites legionis in Dalmatia moratos esse constat, Varium Macrinum 'per Illyricum feliciter res egisse'. Herodianus[2]) autem memoriae prodidit Alexandro Severo, cum contra Parthos pugnaret, nuntiatum esse barbaros Danuvium transgressos Illyricum vexavisse atque in Italiam profecturos esse[3]). Tum facillime fieri potuisse arbitror, ut barbari vagantes etiam in Dalmatiam, quae ipsa quoque pars Illyrici erat, irrumperent[4]). Quae cum ita sint, quamquam certissima argumenta adhuc desiderantur, tamen nescio an suspicari liceat Alexandri Severi temporibus in Dalmatia quoque bellatum esse eique bello vexillationem legionis I Italicae interfuisse.

Restat, ut commemorem in Chersoneso Taurica inde ab Antonini Pii aetate usque ad medium fere tertium saeculum milites legionis I Italicae in statione fuisse. Sed cum Rostowzew in dissertatione ea, quam nuperrime[5]) publici iuris fecit, omnia fere, quae ipse quoque expositurus eram, praeripuerit, iam supervacaneum esse puto de vexillationibus illis copiosius disserere. Hoc tantum admoneam non esse statuendum vexillationes Chersonesitanas, 'dum legio

[1]) vita Alex. Sev. 58, 1. [2]) Herod. 6, 7, 2—4. [3]) Lampridius et Herodianus utrum eiusdem belli rationem habeant necne, diiudicare non audeo. Quominus enim unum tantum bellum commemorari censeamus, obstare videtur, quod nummi Orbianae, quae filia Varii Macrini putatur, adhuc post annum 227 cusi non innotuerunt (cf. Groebe ap. Pauly-Wissowa II p. 2541). Quare cum haec uxor a Severo repudiata esse videatur, quia pater eius regnum appeteret (cf. Groebe l. l.), Macrinum non multo post annum 227 supplicio affectum esse conici potest. Contra Herodianus illam barbarorum incursionem bello Parthico tantum non composito i. e. anno 232/3 (Wirth, Quaestiones Severianae p. 17; Goyau, Chronologie p. 279) factam esse tradit. Tenendum autem est fieri potuisse, ut temporum iniquitate nummi posteris annis cusi interirent. [4]) Etiam bello Marcomanico exorto, cum barbari Italiam peterent (Cagnat, ann. épigr. 1893 n. 88; Amm. 29, 6, 1; Dio 71, 3, 2), periculum erat, ne Dalmatia vastaretur neve Salonae caperentur (cf. III 1979, 1980, 6374). [5]) Rostowzew, Römische Besatzungen in der Krim und das Kastell Charax, ap. Lehmann, Beiträge zur alten Geschichte II 1 (1902) p. 83—88.

I Italica exstabat, ex hac legione electas esse, postea autem legione I Italica cum legione XI Claudia in unum coniuncta e militibus legionis XI Claudiae constitisse'[1]). Equidem enim vereor, ne Latyschev[2]), ad quem Rostowzew recurrit, non recte intellexerit verba Pfitzneri[3]), qui dixerat legionem I Italicam Dionis aetate una cum legione XI Claudia Moesiam inferiorem occupasse[4]). Immo colligendum est eodem tempore omnes Moesiae inferioris legiones milites Chersonesum delegasse: nunquam enim in titulis illis commemoratur vexillatio legionis I Italicae vel vexillatio legionis XI Claudiae; contra semel occurrit vex(illatio) Moes(iae) inf(erioris)[5]). Accedit, quod vexillationum illarum praefectura accurate distinguitur a legionum muneribus: Ti. Plautius Ferruntianus (VIII 619 = n. 23) non erat 'praepositus vexillationibus legionis I Italicae aput Scythia[m] et Tauricam', sed 'trib milit leg. I. Italicae, praepositus vexillationibus Ponticis aput Scythia[m] et Tauricam', quamquam idem in eodem titulo 'praepositus vexil leg. III. Aug. aput Marcommanos' appellatur. Simili modo in tegula iam laudata (n. 129) homo quidam '7. leg. I. It(alicae). praep(ositus) vex. Moes. inf' vocatur. Denique titulo Inscr. Pont. Eux. IV p. 84 n. 121 reperto[6]) cum probabilitate quadam contendi potest tertiae quoque, quae in Moesia inferiore tendebat, legionis milites ibi versatos esse.

Hic subsistendum est, nam, quae posteris temporibus legio gessit, latent omnia, quasi crassis tenebris occultata atque circumfusa.

---

1) Rostowzew l. l. p. 83. 2) Materialy po Archeologij Rossij 17 p. 17 sq. n. 16 = Sitzungsberichte der Berliner Akademie 1895 I p. 520 n. 11. 3) l. l. p. 221. 4) „Unter Hadrianus bildete ⟨die legio I Italica⟩ allein die Besatzung von Moesia inferior, später, zur Zeit Dios, mit legio XI Claudia vereint". 5) Cagnat, ann. épigr. 1900 p. 65 n. 200 = Rostowzew l. l. p. 93 = n. 129. 6) Tituli ad illas vexillationes spectantes mihi innotuerunt hi: *leg. I Ital.*: Inscr. Pont. Eux. IV 120 = CIL III 13751^{a} = n. 109, Inscr. Pont. Eux. IV 94 = CIL III 14214^{34} = n. 24, Cagnat, ann. épigr. 1900, 200 = III 14215^{4} = n. 129, VIII 619 = n. 23; *leg. XI Claud.*: III 782 + p. 1010, III 14215^{3}; *leg. V Mac.*: Inscr. Pont. Eux. IV 121; *coh. I Cilicum*: Inscr. Pont. Eux. IV 119 = CIL III 13751^{b}; *incerti generis*: Inscr. Pont. Eux. IV 81 = CIL III 13750; Rostowzew ap. Lehmann, Beiträge z. alt. Gesch. II p. 93 n. 1 = III 14215^{5}; Inscr. Pont. Eux. I 240, IV 126, 127, 128.

CAPUT IV.

A. INDICES.

1. Index cognominum legionis I Italicae.

Legio prima Italica: (18), 19, 29, 81, 82, 83.
Legio prima Italic.: 9, 106.
Legio prim. Ital.: 5.
Legio pri. Italica: 97.
Legio pr. I.....: 86.
Legio p. It.: 89.
Legio p. I.: 66.

Legio I Italica: 1, 2, 3, 7, 15, 16, 17, 21, 23, 80, 91, 96.
Legionis I Italici: 95.
Legio I Italic.: 8, 12, 13, 22, 28, 42, 79.
Legio I Itali...: 20, 53, 128.
Legio I Itali.: 48, (62a?), 122, 123.
Legio Z [It]a.i.: 127.
Legio I Ital...: 10.
Legio I Ital.: 9, 24, (25), 26, 30a, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 41, 43, 44, 45, (47), (49), 50, 51, 52, 57, 58, 59, (62b?), 63, 84 (bis), 85, 87, 88, 92, 93, 94, 98, 101, 102, 107, 109, 110, 111, 112, (115?), 117, 118, 119, 120, 121, 125, 126; numm. 1.
Legio I Ita...: 99.
Legio I Ita.: 55, 64, 108, 124.
Legio I It...: 4.
Legio I It.: 27, 46, 61, (69), (76?), (114?), 129.

......ς Ιταλικῆς: 30(?).
Legio Italica: numm. 2(?).
Legio Italic.: 104.
Legio Ital.: 60, 103.
It.: 67(?).
......Italica: 6.
......Ita...: 65(?).
......tal.: 68(?).
.......alic.: 11(?).
.......lica: 14.

Legio I Ital. Antoninia(a)na: 54, (78?).
Legio I Italica Severiana: 100.
Legio I Ital. Severiana: 40, 56.

Legio pri. It. Moes: 90.
Legio I Ital. [M]: 63.

Legio p. [It?] p. f.: 105(??).
Legio I Ital. VI p. VI f: numm. 3.
Legio I Ital. VII p. VII f: numm. 4, 5.

2. Index militum legionis I Italicae.

a) Praepositus legionibus cum iure gladii.

1. A. Iulius Pompilius A. f. Cornelia Piso T. Vibius [Varus] Laevillus Berenicianus (bello Marcomanico): n. 1, 1a, 1b; cf. supra p. 84sq. Prosopographia Imperii Romani II p. 207 I 322.

b) Legati legionis.

1. P. Petronius Turpilianus(?): Prosop. III p. 30 P 233 } (a. 68), cf. supra vel Rubrius Gallus(?): Prosop. III p. 137 R 94 } p. 20 sq., 21 adn. 3.
2. T. Manlius Valens (a. 69): Tac. hist. I 64. Prosop. II p. 329 M 123.
3. ..... nius (Nonius vel Annius) L. f. Stel. Gallus Vecilius Crispinus Mansuanius Marcellinus Numisius [S]abinus (sub Traiano): n. 2. Prosop. II p. 108 G 39; Trommsdorff l. l. p. 82 sqq.
4. L. Novius Crispinus Martialis Saturninus (ante annum 147): n. 3, 4. Prosop. II p. 417 N 144.
5. [L. Venuleius L(?). f. Gal(?)] Apronianus Octavius .... (cos. II a. 168): n. 5, 6. Prosop. III p. 397 V 253.
6. D. Clodius Septimius Albinus(?) (sub M. Aurelio): Capitol. vit. Alb. 6, 2; cf. supra p. 87 adn. 3. Prosop. I p. 421 C 937.
7. M. Fabius M. f. Quir. Magnus Valerianus (sub M. Aurelio et Commodo? cf. Wilmanns, Exempla 1193 adn. 3): n. 7. Prosop. II p. 47 F 34.
8. L. Marius L. f. Quir. Maximus Perpetuus Aurelianus (a. 193, fortasse 193—197): n. 8; cf. supra p. 87sq. Prosop. II p. 346 M 233.
9. L. Iulius Lucilianus (aetatis incertae): n. 9. Prosop. II p. 198 I 260 (nihil novi).
10. .... us L. f. Fa[b?] ...... lus C ....(?): n. 10.
11. .... cius ..... [Se]cundus(??): n. 11.

c) Tribuni legionis.

1. [L.] Antonius M. f. Fab. Naso (a. 68?): n. 12. Prosop. I p. 102 A 681; cf. ad CIL III 14387ff.
2. Q. Glitius P. f. Stel. Atilius Agricola (sub Vespasiano): n. 13, 14. Prosop. II 119 G 114.
3. C. Aetrius C. f. Lem. Naso (sub Domitiano): n. 15.
4. Incertus (sub Domitiano vel Nerva): n. 16. Prosop. III p. 496 Incert. 11 (nihil novi).
5. ... Memm[i]us .... Anies. Barbarus ('litterae saeculi primi exeuntis'): n. 17.
6. L. Antonius L. f. Gal. Numida ('litterae saeculi primi exeuntis vel secundi ineuntis'): n. 18. 19.
7. [C. Nu]mmius Hor. V[erus] (sub Traiano): n. 20.

8. Sex. Quintilius Sex. f. Ani. Valerius Maximus (sub Hadriano? cos. a. 151?): n. 21. Prosop. III p. 117 Q 24.
9. C. Maesius C. f. Picatianus (allectus inter tribunicios ab Antonino Pio): n. 22. Prosop. II p. 322 M 62.
10. Ti. Plautius Ti. f. Papiria Felix Ferruntianus (paulo post prius bellum Marcomanicum): n. 23. Prosop. III p. 45 P 351 (nihil novi).
11. Fl(avius) Sergianus Sosibius (a. 185): n. 24.
12. M. Cosconius M. f. Poll. Fronto: n. 25, 26. Prosop. I p. 474 C 1248.
13. C. Aponius Memmius Celer: n. 29.
14. C. Caesidius C. f. Cru. Dexter: n. 28.
15. M. Cassius Paullinus: n. 27. Prosop. I p 316 C 439 (nihil novi).
16. .... *Γαΐου Τιμοκράτους υἱὸς Κυρείνᾳ Φλαβιανός*: n. 30(?).

d) Praefectus legionis.

1. L. Terentius Valentinus: n. 30a.

e) Primipili legionis.

1. L. Betutius L. f. Pal. Furianus: n. 87, 88.
2. .... us D. f. ..... Octavius Se[c]undus (sub Hadriano): n. 106.
3. M. Maesius Geminus (a. 182): n. 39.
4. M. Aurel(ius) Iustus (ex trecenario; XII Kal. Oct. 224): n. 40.
5. C. Iul(ius) Carianus (ex eq. Rom.): n. 31.

f) Centuriones legionis.

1. Ti. Claudius Ti. f. [G]al. Vitalis (ex eq. Rom.; sub Traiano cf. p. 79 sqq.): n. 84.
2. L. Val(erius) L. f. Proclus (sub Traiano?): n. 50.
3. C. Maenius Haniochus (paulo ante a. 127): n. 110.
4. .... us D. f. ... Octavius Se[c]undus (cf. e 2) (sub Hadriano): n. 106.
5. L. Messius Irmus; centurio frumentarius(?) (sub Antonino Pio): n. 34.
6. Cornelius Firmus (inter a. 161 et a. 169): n. 33.
7. C. Val(erius) Firmus (a. 173 vel paulo post): n. 36.
8. P. Aelius P. f. Romanus (saeculo altero exeunte cf. Wilmanns ad VIII 2786): n. 111.
9. L. A ..... C ......: n. 129.
10. .. Aelius .... Artemidoru[s]; centurio frumentarius(?): n. 47.
11. L. Antonius L. f. Arnensi Felix: n. 37.
12. M. Aur(elius) Iaso[n]: n. 49.
13. Blandius C.[f.] Vol. Latinus: n. 93.
14. C. Iulius Crescens: n. 42.
15. Iulius Verecundus: n. 41.

16. Q. Lucilius Pis[ci]nus: n. 52.
17. C. No[n]nius Amandus; ex 7 m. h. m. (cf. h 7): n. 75(??).
18. .. [R]omanius A. f. Restitutus . . . : n. 115(?).
19. Sa[t]urn[i]nus: n. 77(?).
20. [Ta]uriscus; ex 7 veteranus (cf. h 11): n. 73(?).
21. [M. Tuccius . . . .]: n. 112.
22. Valerius Clemens: n. 63.
23. Vasellus Marcellus: n. 44.

g) Milites legionis.

1. M. An[t . . . .
2. T. Fl . . . .
3. C. I[ul. . . . .

(1–3: a. 147—172): n. 71(?); cf. supra p. 77 adn. 1.

4. M. Aurelius Maximus; eques (a. 212 vel paulo post): n. 54.
5. [Au]rel(ius) Mar[ci]anus (sub Alexandro Severo): n. 100.
6. [M.] Ulp(ius) Kalendinus; beneficiarius consularis (a. 225): n. 103.
7. Valer(ius) Antoninus; speculator (sub Alexandro Severo): n. 56.
8. . . . . . . ial . . . . (sub Alexandro Severo): n. 100.
9. C. Albius C. f. C[a]m. Severus: n. 91.
10. Aelius Marti[a]nus; beneficiarius consularis: n. 98.
11. [Aelius] Mucianus: n. 72(?).
12. Anni(us) Cel[e]r; optio: n. 69, 4.
13. Ant(onius) Florianus; optio: n. 58.
14. Ant(onius) Florus; beneficiarius consularis: n. 58(?).
15. L. Attius Maxsimus: n. 41.
16. Aur(elius) Bito: n. 80.
17. Aurel(ius) Cornelia(nus); custos armorum: n. 69, 5.
18. Aur(elius) Dionysius; imaginifer: n. 69, 2.
19. Marcus Aurelius Flac[cus]: n. 83.
20. Aur(elius) Iannarius: n. 104.
21. Aur(elius) Martialis: n. 95.
22. Aurelius Mucatra: n. 96.
23. M. Aurel(ius) Mucianus; ex beneficiario consulari (cf. h 1): n. 55.
24. Aurelius Pontianus: n. 97.
25. Aurel(ius) Sabasianus: n. 96.
26. Aur(elius) Valens: n. 57.
27. Aur(elius) Victor: n. 109.
28. [Q.] Caurisinius In[ge]nus: n. 67(?).
29. Coc(ceius) Urb(icus); cornicen: n. 69, 5.
30. L. Cornelius Fronto; ex imaginifero (cf. h 3): n. 32.
31. Domi(tius) Ce[l]eri(nus); optio: n. 69, 2.
32. Drebias: n. 108.
33. C. Ersidius Sexstus: n. 43.
34. T. Fl(avius) Sab[inus]; beneficiarius consularis: n. 94.

35. Fl(avius) Victor; beneficiarius semestris: n. 74(??).
36. Geminius Severus; evocatus: n. 69, 1.
37. Iul(ius) Felix; custos armorum: n. 69, 5.
38. Iul(ius) Herculanus; beneficiarius consularis: n. 102.
39. Iul(ius) Rus(ticus); evocatus: n. 69, 6.
40. M[e]tt(ius) Aqui(la); imaginifer: n. 69, 3.
41. Papi(rius) Vale(ns); tubicen: n. 69, 4.
42. P[er]enni(us) Primus; cornicen: n. 69, 6.
43. Pet(ronius) Inge(nuus); tesserarius: n. 69, 2.
44. Petron(ius) Sn . . . . .; cornicen: n. 69, 3.
45. Pom(ponius?) . . . . . n . . .; tibicen: n. 69, 4.
46. Sal(vius) Va[l]e(n)s; cornicen: n. 69, 6.
47. L. Sentius Bellicanus; optio: n. 114(??).
48. P. Valerius Germanus: n. 44.
49. C. Valerius C. f. Fab. Longinus: n. 44.
50. Val(erius) Min(utius); cornicen: n. 69, 3.
51. Val(erius) Sarmatius: n. 81, 82.
52. C. Val(erius) Severus: n. 66(?).
53. Val(erius) Sudius: n. 85.
54. . . . . Donatus: n. 41.
55. . . . . illanius Tr[o]ilus; beneficiarius consularis: n. 45.

h) Veterani legionis.

1. M. Aurel(ius) Mucianus; ex beneficiario legati legionis (cf. g 23): n. 55.
2. Tib. Claudi(us) Tib. f. Sergia Niger: n. 35.
3. L. Cornelius Fronto; ex imaginifero (cf. g 30): n. 32.
4. C. Crispinus C. f. Claudia Firmus: n. 61.
5. L. Lentidi(us) Saturnini(us): n. 105(??).
6. M. Licinius M. f. Volt. Optat(us): n. 107.
7. C. No[n]nius Amandus; ex centurione (cf. f 17): n. 75(??).
8. L. Papius Marcellinus: n. 89.
9. P. Pompeius P. f. [A]em. Magnus: n. 51.
10. Q. [T]al[o]n(ius) [Q. f.] An[i] Co(n)sta(n)s: n. 48.
11. [Ta]uriscus; ex centurione (cf. f 20): n. 73(?).
12. C. [Valer]ius Rufus: n. 53.
13. L. V[ibi]us Va[l]ens: n. 92.
14. . . . . . . oll . . . iu . . . : n. 60.
15. incertus: n. 65(?).

i) Milites incerti ordinis.

1. Incertus (sub Caracalla vel Elagabalo): 78(??).
2. P. A[el(ius) M]onimus (7?): n. 64.
3. A[u]r. [Se]cu[ndus] (pp. vel 7?): n. 116(?).
4. Fla(vius) Augustalis (mil?): n. 90.

5\. .... Herenn(ius) .... : n. 99.
6\. Marcianus: n. 76 (??).
7\. ..... ric ... : n. 86.
8\. Incertus: n. 46.
9\. Incertus (7?): n. 38.
10\. Incertus (mil?): n. 68.
11\. Incertus: n. 59.

3. Index deorum in titulis legionis I Italicae occurrentium.

B. TITULI LEGIONIS I ITALICAE.

a) Tituli praepositi cum iure gladii.

n. 1 (VIII 2582 + n. 18090) **Lambaesi.**
[A.] Iulius . Pompilius . A . fil . Cornelia . Piso . T . Vib[ius ...... Laevillus]| Berenicianus . X . vir . stlitibus . iudicandis . tri[bunus militum leg ....]| item . XV . Apollinaris . quaestor . urb . adlec[tus inter tribunicios praetor]| candidatus . Augustorum . legatus . leg . XIII . [Geminae item IIII Flaviae]| praepositus . legionibus . I . Italicae . et . III[I Flaviae cum omnibus copiis]| auxiliorum . dato . iure . gladi . leg . August[orum pro praetore leg III Aug]| consul . desig[natus].

n. 1a (VIII 2744 = 18272) **Lambaesi.**
[praeposit ... legionibus I Italicae | et IIII] Fl cum [auxiliis ...] | dato iure gladii l[eg . Aug | p]r . pr . leg . III Aug | .. et veterani leg III Aug | qui militare coeper(unt) ‖ Glabrione et Homull(o) (a. 152) | et Praesente et Rufino | cos (a. 153).

n. 1b (VIII 2745 + p. 1739) **Lambaesi.**
[Laevillo Berenici]ano [X viro stlit . iud .] | trib . m[il leg ....] | item . XV A[poll . quaest . | u]rb . allec[to inter tri]bunicios [praetori] ‖ candida[to Augustor] | leg . leg . XII[I Gem . item] | IIII . Fl . p[r]ae[posito le]gioni[bus I Italicae et] IIII . Fl . cum [auxiliis .....

b) Tituli legatorum.

n. 2 (III 6813) **Antiochiae Pisidiae.**
[An *vel* No]nio L f Stel . | [G]allo Vecilio | Crispino Mansuanio | Marcellino. Numisio . | [S]abino leg Aug pro pr ‖ provinciar . Galatiae Pisid | [P]aphlagoniae sodali . Fla viali . procos prov . Sard | [l]eg . legionum . I Italicae et | [I]I Traianae fortis praef frum ‖ dandi curatori viar . Clodiae | Cassiae . Anniae Ciminiae . Tra ianae novae . praetori . trib pl | quaestori . provinc . Ponti . et | [B]ithyniae . leg . Asiae . III vir . capital ‖ [trib] milit . leg . XXI . Rapacis

n. 3 (VIII 2747 + p. 1739) **Lambaesi.**
L . Novio . Crispino | Martiali . Saturnino | cos . desig . leg . Aug . pr . pr . | provinciae . Africae . procos . Galliae | Narbonensis . leg . Aug . leg . I . Italicae ‖ leg . Aug . iuridico . Asturiae . et . Callaeciae | praetori . trib . pleb . quaestori . pro . praet provinciae . Macedoniae . trib . mil | leg . VIIII . Hisp . IIII . viro viarum | curandarum . seviro . eq . Romanorum ‖ veterani leg III Aug | qui . militare . coeperunt . Glabrione | et . Torquato . (a. 124) item . Asiatico . II . et . Aquilino . cos (a. 125).

n. 4 (VIII 18273) **Lambaesi.**
[L . Novio C]rispi[no | Martial]i Saturn[ino | cos de]sig . leg . Aug p[r pr | provinci]ae Africae procos [Galliae | Narb]onensis leg Aug leg I I[talic . leg . ‖ Aug . i]uridico Astyriae et [C]a[llaeciae | praeto]ri trib pleb quaestori [pr . pr . provinc]iae Macedoniae [trib mil | leg V]IIII Hisp IIII v[iro viarum cu]rand]arum seviro [eq . Romanorum] ‖ ... ilius Balbus tr[ib mil] | Ulpius Postum[us] | Cascellius . C . f .... | Ulpius .. uni .... | Pompeius Pro ... ‖ Cassius ....

n. 5 (XI 1432) **Pisis.**
[L . Venuleio L(?) f . Gal(?) A]proniano . Octavio | [....... III vir . a . a .] a . f . f . praef . urb . feriar | [lat . augur . quaest . tr . pl(?) pr]aet leg . leg . prim . Ital . cos . II (a. 168) | [sodal . Hadrianal . sodal .] Antoninian . Verian . leg . Aug | [pr . pr . prov . Hispaniae citeri]oris . praetori . Etruriae . V . Pisis ‖ .... publice d . d | [ob ... i]n patriam . suam . beneficia

n. 6 (XI 1433) **Pisis.**

[au]gur . q[uaestor tr . pl? praetor leg . leg . primae | It]alicae [. . . . . . . cos . sodalis] | Hadriana[lis leg . Aug . pr . pr . prov . Hispaniae] | citerior[is . . . . .] | cum . Venu[leia . . . filia . . .] ‖ et . propriis . et . redem[ptis . . .] | et . opere . usque . in alv[eum . . .] | thermas . p s

n. 7 (XI 2106) **Clusii.**

M . Fabio M . f . Quir . Magno | Valeriano . X . vir . stlitib | iud . trib . laticl . leg . XI . Cl . | p . f . XV . vir . s . f . q̄ . cand . VI . vir | turma . V . tr . pl . pr . luperco ‖ cur . r . p . Velitrensium . | cur . viae . Latinae . iur . | reg . Tusciae . et . Piceni . leg | Augg . leg . I . Italicae | splendidissimus . ordo ‖ Clusinorum . patrono | optimo . ob . benivolen|tiam . eius . in se . conla|tam

n. 8 (VI 1450) **Romae.**

L . Mario . L . f . Quir . | Maximo . Perpetuo . | Aureliano . cos . | sacerdoti . fetiali . leg . Augg pr . pr . | provinc . Syriae Coelae leg . Augg . pr . pr . ‖ provinc . Germaniae inferioris . item . | provinc . Belgicae duci . ex . erciti . Mysia|ci . aput . Byzantium . et aput . Lugudunum | leg . leg . I . Italic . cur . viae . Latinae . | item . reip Faventinorum . allecto in . ‖ ter . praetorios . trib . pleb candidato . | quaestori . urbano . trib . laticl . leg . | XXII . Primig . item . III . Italicae . | IIII . viarum . curandarum (sic!) . | M . Iulius . Artemidorus ‖ leg . III . Cyrenaicae .

n. 9 (III 784) **Ruschizii** (??) **Moesiae inferioris.**

a) *in summo pondere aeneo legitur:* X Legionis primae . Italic .
b) *in latere ponderis:* Lucius Iulius . Lucilianus leg Augusti | leg I Ital pondera examinata sig .

n. 10 (X 3872) **Capuae.**

. . . . o . L . f . Fa . . . . . | . . . . lo C . . . | [. . leg] V . Macedon . . . . | [. . . leg] III . Aug . [II] . Tra[ian . . . | . . . le]g . leg . I . Ital . . . . ‖ [praef . f]rum . dand . . .

Qui titulus propter v. 6 huc referendus esse videtur cf. Mommsen, St. R. II³ p. 673, Hermes IV p. 364 sq.

n. 11 (VI 3842) **Romae.**

. . . . . . cio . | . . . . [Se]cundo | [cos? procos prov . Mace]doniae | . . . . . cur . | [plurium? rerum publ]icarum . ‖ [per . . . . leg . leg . . . . It]alic . item . | . . . [. . item l]eg . XI . Cl . | [. . . . . ce]nsitori .

Qui titulus num ad legionem I Italicam spectet, non diiudicandum est.

c) Tituli tribunorum.

n. 12 (III 14387 ff + fff) **Heliopoli.**

Antonio M . f Fab | Nasoni | [7 le]g III Cyrenaicae | [7 le]g XIII Geminae | [honorat]o albata decursione ab . imp ‖ . . . . civitatis Colaphianorum | [primo p]ilo leg XIII Gem . trib leg I . Italic | [trib . coh] IIII vigilum . trib coh . XV urba[n | trib coh] XI . urban . trib coh IX prae[t | donato] ab . imperatori!!!! ‖ . . . . . . ri corona . au[rea . .] | . . . . us . ha . . . . . | . . . . m . . .

. . . r a . . e . pra . . | . . . nos Romae . m . . . | . . . . m . exercituum . . . | . . . nto et . p . . . . . | . . . urei . . .

n. 13 (V 6974) **Taurinis.**

[Q . Glitio P] fil Stel | [Atilio] Agricolae | [cos VII]viro . epulon | [lega]to . pro praetor | [im]p . Nervae . Caes . Aug ‖ provinciae . Belgicae | legat leg . VI . Ferratae | leg . citerioris . Hispan | praetori . aedili . cur[ul] | q . Divi . Vespasiani [tr . mil] ‖ leg . I . Italic . X [viro stlitib] | iudic . sev[iro turmae . . eq] | Roma[norum . . . .

n. 14 (V 6975) **Taurinis.**

Q . Glitio . P . f[il Stel] | Atilio . Agrico[lae] | cos . VII vir . epu[lon] | legato . pro . prae[tor] | imp . Nervae . Cae[s Aug] ‖ provinciae . Bel[gicae] | leg . leg . VI . Ferrat[ae] | leg . citerioris . His[paniae] | praetori . aedil . cu[rul] | Divi . Vespasian . trib . m[il leg I ‖ Ita]licae . Xviro stl[it . iud | sev]iro . tur[mae . . . eq . Rom] | . . . . .

n. 15 (XI 5745) **Sentini.**

C . Aetrio . C . f . Lem | Nasoni | equo . publico | in . quinque . decuris | praef . coh . I . Germanor ‖ trib . mil . leg . I . Italicae | testamento . poni . iussit | idemque . municipib | Sentinatib . in . epulum | quod . XVII . K . Germanicas ‖ daretur | HS . CXX . legavit

Qui titulus propter Kal. Germanicas (= Sept) ad Domitiani aetatem pertinet cf. CIL l. l.

n. 16 (XII 3169 + p. 836) **Nemausi.**

. . . . . | hastis púris . IIII . v[exillis IIII legato] | imp . Caes . Nerv . Tra[iani Aug Germanici] | Dacici . Parthici . p . p [. . . . . leg] | Divi . Nervae . et . im[p Caes . Nervae Traiani] | Optimi . Aug . Germ . . . . . ‖ pr . trib . pléb . q̄ . pro [pr . prov . . . trib . mil] | leg . I . Italicae . IIII [viro viar . cur(?) inlatis] | in publicu[m . .] | A . Pompeia . Marulli[na . . .] | locus . d[atus decreto decurionum] ‖ Avennien[ses patrono?]

n. 17 (II 2638) **Asturicae Augustae.**

Mem[mi]us . [. . fil] | Anies . Barbarus | sacerdos . Romae . et . Aug | ad . Lucum . Aug . | flamen . provinciae . Hispa||niae . citerio[r]is . trib . mil . leg . I . Ital[i]cae . an . LVIIII . h . s . e

n. 18 (II 3845) **Sagunti.**

L . Antonio . L . [f . G]al | Numidae . pra[efect]o | fabrum . tr[ibuno milit] | leg . prima[e Italicae] | M . Sergius . T . . . . . . ‖ et . Serg[ia . . . .] | Serg[illa?]

n. 19 (II 3850) **Sagunti.**

L . Antonio . L . f . Gal | Numidae . praefect | fabrum . tribunó . mílit | leg . primae . Italicae | L . Rubrius . Polybius . amico

n. 20 (XI 3100) **Faleriis.**

[C . Nu]mmius . Hor . V[erus | . . . .] m . provinciae . i . . . . . | [. . D]acorum . praef . . . . | [. . . Th]r . trib . leg . I . Itali[cae . . | . . d]onis . militaribu[s donatus ab] ‖ imp . Traiano . Aug . G[erm . Dacic] | pontif . sacr . iun . Cu[rritis . .] | cellam . caldari[am pec . sua fecit] | C . Nummius . C . f . H[or . . .] | patronus . reip . mu . . . . ‖ ex . sc . adi[ecit]

n. 21 (XIV 2609) **Fraschati.**
Sex . Quintilio . Sex . f . Ani | Valerio . Maximo | leg . provinciae . Achaiae . praetori | tr . [p]l . quaestori . provinciae . Achaiae | tr . mil . leg . I . Italicae . et . XIII . Geminae | IIII . vir . viar . cur

n. 22 (V 4338) **Brixiae.**
C . Maesio | C . f | Picatiano | X . vir . stlitib . iud | trib . milit . leg . I . Italic || q̄ . prov Afric | allect . inter . tribun . ab | imperatore | Hadriano . Antonino . Aug . P | praetori || patrono | d d

n. 23 (VIII 619 + 11780) **Makter.**
Apollini patrio Aug sacr | Ti Plautius Ti f Papiria Felix Ferrunti|anus praef alae . I . Thracum veterano|rum sagittariorum proc ad solaminia(sic!) | et horrea trib milit leg . I . Italicae praepositus || vexillationibus Ponticis aput Scythia (sic!) et Tau|ricam praepositus vexil leg . III . Aug aput Mar|commanos donatus donis milit . . . . | . . . . . . | . . . . . || . . . . . | d . . . . . | IΛI . . . . |

n. 24 (Cagnat, ann. épigr. 1900 n. 199 = Inscr. Pont. Eux. IV 94 = CIL III 14214[34]). **Chersonesi.**
Pro . [salute imp . Caes] | M . Au[r] Ant . Com|modi Aug . et | Fl . Sergiani . Sosibi | trib . mil . leg . I . Ital . iuven || reverentissim(i) . s(ub) . c(uius) . c(ura) . e(gi) | et . mea . meorumq(ue) . T . | Aur . T . f . Cam . Secun|dus Rave(nna) tr(ierarcha) c(lassis) F(laviae) M(oesicae) v s l . l . m | sequentes(?) Materno et Bradua cos (a. 185)

n. 25 (X 7583) **Cagliari.**
[M . Cosconio . M . f . Po]ll Fronton[i | praef fabr] . a cos . a[dl]ecto . praef . coh . | [I . . .] trib . mil . l[eg I] Ital . proc . Augg . | [ad ve]ctig [XX her . p]er Pontum et Bithy|[niam e]t Pontum . Mediterr[ane]um || [et Pap]hlagoniam . proc . Augg . item | [ad ve]ctig . XX her . per Asiam Lyciam | [Phry]giam . Galatiam . insulas | [Cy]cladas . subpraef . ann . urb . proc | Augg . ad vectig . ferr(ariarum) . Gall(icarum) . proc . || Augg . et . praef . prov . Sardiniae | optimo . et . rarissimo . praesidi | P . Sempronius . Victor . | optio . praetori

n. 26 (X 7584 = p. 995) **Cagliari.**
M . Cosconio . M . f . Poll . Frontoni | praef . fabr . a cos . adlecto . praef . coh . I | . . . IF . trib . mil . leg . I . Ital . proc . August | ad . vectig . XX . her . per . Pontum . et . Bithy|niam . et . Pontum . Mediterraneum . et || Paphlagoniam . proc . Augg . item . ad | vectig . XX . her . per . A[si]am . Lyciam . | Phrygiam . Galati[am] . insulas . Cy|clades . sub . praef . a[n]nonae . urbis | proc . Augg . ad . vectig . ferr . Gallic || proc . Augg . et . praef . [pr]ov . Sard | optimo . et . sanctissimo praeposito | Lucretius [a]ugg | tabul prov Sard

n. 27 (VI 1373) **Romae.**
D . M | M . Cassio | Paullino | III . vir . a . a . a . f . f . tr . m | leg . I . It . q . pr . Mac || ab . act . sen

n. 28 (XI 6033) **Pitini Pisauri.**
a) *in fronte*: C. Caesidio | C . f . Cru . Dextro | eq(?) . coh . VIII . praef | coh . I . Lingonum | equitat . trib mil || leg . I . Italic . praef | equit(um) alae

C[la]s|sianae . invictae | bis torqu[ata]e c R pontific(i) || Pi[t(ini)] P[isau]ri | patrono | munic | l . d . d . d
b) *in latere dextro*: Cuius . dedica|tione . decu|rionibus . $\overline{\text{VR}}$ (sic!) | Aug . plebi urb | epulas . dedit || et oleum . in ba|lineo . populo | item . plebi | pane(m) . et vinum

n. 29 (III 3268 + p. 1675) **Cibali.**
D. M | C . Aponio . Mem|mio . Celeri . tribu|no . militum . leg | primae . Italicae . Iulia || Pia . co(n)iugi . bene | merenti . et . Aponia | Gallitia . fratr(i)

n. 30 (Athen. Mitt. IX p. 262) **Mavratzaei** (Sami).
. . . . [Γ]αΐου [Τ]ιμοκρά[τ]ους υἱὸς Κυρείνα Φλαβιανὸς [ΤΡΙ?] εικοπο | . . . . .ονος ἔπαρχος σπείρης πρώτης Νουμιδῶν καὶ χειλί|[αρχος . . . .]ς Ιταλικῆς καὶ ἔπαρχος ἄλης δευτέρας Γά[λ]λων | [τιμηθεὶς . . . . δώρ]οις στεφάνω πυργωτῷ καὶ δόρατι καὶ βη[ξ]ίλλῳ | . . . . . . ς τῶν σεβαστῶν καὶ ἀγωνοθέτης μεγάλων Ἀκ[τι|ακῶν ἀγώνων] Ἥρως.

Qui titulus num huc spectet, incertum est; ad legionem I Italicam eum dubitanter refert Cichorius ap. Pauly-Wissowa IV p. 305.

d) Titulus praefecti.

n. 30a (Notizie degli Scavi 1902 p. 382 = Cagnat, ann. épigr. 1902 n. 207) **Miseni.**
D M | L . Terenti | Valentini | p . p . leg . I . Adiutr | praef . leg . I . Ital || Iuliae . Rufinae | eius

e) Tituli centurionum, militum, veteranorum.

1. Tituli in Moesia inferiore reperti.

n. 31 (III 750 + p. 992 + p. 1338) **[Bukarest].**
Libero pa|tri C Iul Ca|rianus p p | leg . I . Ital ex | eq Romano

n. 32 (III 756 + p. 993 + p. 1338) **Novis** (Steklen).
. D . M . | L . Cornelio | Mampsala|chano . vixit | annos . VI . L . Cor||nelius . Fronto | vet ex imag . leg | TItal . pater et Vi|bia . Marcia . ma|ter . filio . pientis||simo . honoris | causa . bene . me|renti . posue|runt . viato|r[e]s . havetis .

n. 33 (III 778 = 7514) **Gerthina.**
. . . . | pro sal[ute] | et . victoria | et . concordi|a . M . Aurelii | Antonini . et || L . Aur . Veri . | imp . Corneli|us . Firmus 7 | leg . I . Ital . aram | posuit

n. 34 (III 6125 = 7420). **Almi** (Lom).
Herculi | pro salute | T Vitrasi Pol|lion leg Aug . | pr . pr . || L Messius Irmus | 7 leg I . Ital . fr(umentarius)

n. 35 (III 6144 + p. 1338) **Rahovica.**
D . M | Tib . Claudi | Tib . f . Sergia | Nicopoli . | Niger . vet . leg . || I . Ital . vi(xit) . an . LX | Tib . Cl Zoticus | lib . et . he(res) f(aciendum) . c(uravit) .

n. 36 (III 6176) **Troesmi.**
Tib . Cl . Pom|peiano . c . v . | bis . consuli (a 173) . | C . Val . Firmus | 7 ‹leg . I . Ital .

n. 37 (III 6185) **Troesmi.**
L . Antonio | L . fil . Arnensi | Felici . Kartha|gine . 7 . leg . III . | Aug . 7 . leg . X . Gem 7 ‖ leg . I . Ital . vixit . | annis . LVIIII . Didia | Marcellina . con|iunx . cum . Antonis | Marcellina . et . Di|diano . filis . et . | her . b . m . facere | . curaverunt .

n. 38 (III 6192) **Troesmi.**
. . . . . . | Traian . leg . I . Ital . leg . X | Fret . leg . V . Mac . . . . . . | vix . ann . L . . . . Petronia | . . fil . et . her . f . c

'Cave titulo fidas': Mommsen ad III 6192.

n. 39 (III 6223 + p. 1366)
[in villa **Moara Domneaska** ducis Mavros.]
Bono | eventui | leg . I . Ital . | M . Maesius | Geminus . ‖ Bononia . p . p | d d Ma[m] et Rufo (a. 182).

n. 40 (III 6224 = 7591) [in villa **Moara Domneaska**].
Dis . militaribus | Genio . Virtuti . A|quilae . sanc . signis|que . leg . I . Ital . Seve|rianae . M . Aurel . ‖ Iustus . domo Ho[r]|rei Margensis . m(unicip) Moesiae superio|ris . ex . CCC . p . p | d . d
in latere: dedic . XII . Kal | Oct . Iuliano | II . et . Crispino | cos (a. 224) | [pe]r . Annium . Italicum ‖ leg . Aug . pr . pr

n. 41 (III 6232 + p. 1366) [in villa **Moara Domneaska**].
. . . . . . | Donatus . Ga[b(ala??)] | mil . leg . I . Ital | vix . ann . XXXII | mil . ann . XIIII . | h . s . e ‖ L . Attius . Max|simus . 7 Iuli . Verecundi | her . | f . c

n. 42 (III 7428 = Sbornik 16/17 p. 122 n. 34) **Oesci** (Brest).
D [M] | C . Iuli(o) . C [f] | Col . Cel[e]|ri . veter | leg . V . Ma[c] ‖ et . Iuliae | Tyche | C . Iulius . Cres|cens . 7 . leg I | Italic ‖ parentib . piissimis . fec

n. 43 (III 7438) **Novis** (Steklen).
C . Ersidius . Sexstus | mil . leg . I Ital . votum | Hercule . solvit . merito

n. 44 (III 7441) **Novis** (Sištov).
C . Valerius | C f Fab | Longinus Her(aclea) | mil leg I Ital | 7 Vaselli Mar|celli mili[t] ann | XIIII vixit ann | XXXIIII | P . Valerius Ger|manus commani|pularis et heres | f c .

n. 45 (III 7447) **Kutlovica.**
[Diana]e et Ap|[olli]ni sanctis | . . . . illanius Tr|[o]ilus [bf] cos | leg . I . Ital . c[on]|servatus | ab eis . v . s . [l . m]

n. 46 (III 7517) **Barboși.**
. . . etu | . . . . us . m | . . . . icu | [. . le]g . I . It

n. 47 (a. e. M. XIV p. 145 n. 7 = III 12371) **Kutlovica.**
. Dianae . | Reginae et Apol|lini pro salute | L Iu[l]i Statilii Se|veri leg Aug pr ‖ pr et li[bero]rum ei|us . . Aelius . . . | Artemidoru[s] | 7 I [l]eg Ital [f]r(umentarius).

n. 48 (a. e. M. XIV p. 146 n. 11 = III 12352) **Oesci** (Gigen).
Q [T]al[o]n(ius) | [Q . f .] An[i]e(nsi) | Co(n)sta(n)s Ar|imini vet | leg I Itali ‖ vix an L . | h(eres) f c

v. 3: cum pars litterae s supersit, 'Constans' legere malo quam 'Costa'.

n. 49 (a. e. M. XIV p. 158 n. 45 = III 12388) **Běla-Slatina.**
Aetern[o deo] | M . Aur Iaso[n] | 7 . leg . I . Ital [et] | Ulp . Lucre|[t]ius . et . Au[r Ia]|son . et . Au[r . Lu]|cretia . n[us?] | fil . eqq [Rom(ani)] | pro su(a) [sal . a]|ram . po[s . imp?] ‖ A[nt]oni . [no . . cos]

n. 50 (a. e. M. XV p. 209 n. 80 = III 12411) **Nedan.**
D M | L Val L f Proclus | mil leg V M b[f] lega | opt(io) ad spe(m) ordin(is) | 7 leg eiusd d(onatus) tor(quibus) ar(millis) ‖ pha(le)r(is) . bel Dac 7 leg I | Ital 7 leg XI Cl 7 leg | XX V V 7 leg VIIII Hisp | mis h mis vix . an LXXV | h s e

n. 51 (a. e. M. XV p. 209 n. 81 = III 12409) **Nedan.**
Dis M[a]nib(us) | P . Pompeio | P . f [A]em . Ma|gno . S[t]o(bis) | vet leg . I . Ital ‖ vixit an . LX . . | s . e | C . Pompeius | Magnus f | et [h(eres)] patri . ‖ bene merit | et Pom[p]eia | Marcia . co(n)|iunx [h]ono|ris [e]t facul|tatis causa | posuerunt

n. 52 (a. e. M. XVII p. 103 n. 47 = III 12468) **Tropaei Traiani.**
In . hon . d . d . | So[l]i . invicto | sacrum | Q . Lucilius | Pis[ci]nus . 7 ‖ leg I Ital | v . s . l . m

n. 53 (a. e. M. XVII p. 172 n. 6 = III 12354) **Uti** (Gauren).
D M | C [Valer]ius | Rufus vet | leg . I . Itali . | mer . an . XX ‖ vix . [an] . . IX | Iulia Verec|[und]a coniux | coniugi et | Valeriu[s] ‖ Rufu[s] f | f c

n. 54 (a. e. M. XVII p. 174 n. 10 = III 12394) **Dermanci.**
I . o . m . et . Iuno|ni re[g] . M . Aurelius | Maximus . eq . leg . | I . I . t . al Antoninia|anae . (sic) quod . vover|[a]t . imp . Antonin Au[g] | II . cos (a 205 vel [I]II cos: a 208).

Propter Getae nomen omissum post mensem Febr. a. 212 positus.

n. 55 (a. e. M. XVII p. 184 n. 36 = III 12408) **Nedan.**
a) *antica*: [arcam? exstr]uxit sibi vivus amicus [q]ua nunc | [sepulti sunt?] M Aurel Mucianus vet ex bf leg leg I Ita | [. . . . M]ucian[a]e fil eius et Aurel Dizze vet fratri fec
b) *in latere*: Mucianus fecit

n. 56 (a. e. M. XVII p. 216 n. 116 = III 13719) **Altimir.**
Valer(ius) . | Antoni|nus spec(ulator) | leg . I . Ital | Severia|nae | v l . s .

n. 57 (a. e. M. XVIII p. 119 n. 37 = III 12442) **Popowo.**
Iunoni Regin[a]e Aur | Valens miles leg | I Ital ex votu posuit

n. 58 (a. e. M. XIX p. 88 n. 28 = III 14214^{19}) **Kalakiöi.**
[D] M | Ant . Floro b f | cos . mil . ann . XXIII | vixit . ann . XL . Ant | Florian|us . optio . leg . I Ital fra|ter posuit

n. 59 (a. e. M. XIX p. 222 n. 87 = 14214^{30}) **Tomis.**
. . . [bf?] cos . leg . XIII Gem . . . . . | [. . . le]g . I . Ital . mariti . . . . . .

n. 60 (Sbornik 16/17 p. 126 n. 38 = III 14422) **Hadži Musa.**
......o|ll . . iu | vet leg [I] Ita|l Cl Marce|lina mar|ito pientisi|mo et sibi vi|vo posui[t]

n. 61 (Tocilesco, rech. arch. p. 190 n. 7 = III 14491) **Celei.**
. D . . M . | G . Crispinus . | G . fil . Claudia | Firmus . Aspe|ndo . v̄ . le(g) . I . It . || Aureliae . Se|verae . coi|ugi . v̄ . añ XXVI | et nepotibu|s . Aur . Prim|| illae . s(uis) . ben(e) | mae(rentibus) . pos

n. 62 (Tocilesco, rech. arch. en Roumanie p. 195 sq. n. 15—17 = III 14214[3]) **Tropaei Traiani.**
a) (II) . . . . ac . | . leg . I Itali | . a . LL[M] . leg | V Mac . et . Orfio . Sab | evoc . leg . V . Mac || v . s . l . m .
b) (I) [. . . . l|eg . V . Mac . | . . . Ital | . . . . . . | . . . . . | ev . . . . ac . || v . s . l . m .
c) (III) . . . . . . | . . . . . | . . . . . | . . . . . | ev . c . . . . V Ma[c] || v . s . l . m .

a) *v. 2 et 4 in.,* b) *v. 2 in III 14214[3] frustula tantum litterarum traduntur.*

n. 63 (Tocilesco, rech. arch. en Roumanie p. 202 n. 25 = III 14433) **Ghiuvegea** (Toc.) vel **Kadikioï** (CIL).
Nept . Aug . sac | vexil . leg . I . Ital | [M] et V . Ma[ce]d . Trop | [Tra]i . sub curam | Eptidi . Modesti || 7 leg . V . Mac . et | Valeri . Clementis | 7 leg . I . Ital | v . s . l . m

v. 3: in CIL traditur NA·D (*Toc.* NAD); *cf. supra p. 24 sq.*

n. 64 (III 13720) **Altimir.**
ΛΛΛΛL | . . . . . . | . p . P A[el] | [M]onim(us) [7] | leg I Ita

Praeterea summa cum probabilitate ad legionem I Italicam referuntur:

n. 65 (III 7555) **Tomis.**
. . . vete[ran . . | . . leg I] . Ita[lic . . .] | . . . an LVI . . . | . . d . .

n. 66 (a. e. M. XV p. 207 n. 75 = III 12398 + 14207[40]) **Slatina.**
D M | C . Val Severus | [m] . leg . p I . c[o(n)i]u[gi] | . . vol . Marcia | I . I [p]osuit memo|ria vixit ann | . . . . . XXV | . . . tit(ulum?) fe(cit?) l(ibens?)

n. 67 (a. e. M. XV p. 213 n. 89 = III 12436) **Mekiš.**
D M | Cl(audia) [C]l[e]m[e]n[t]i[l]|la vixit an|nos XVIII [Q] Caurisiniu|s In[ge]nus | maritus [e]ius | mil It s(ibi) vivo | m(emoriam) p(o)s(uit)

v. 8: traditur MILIT; *in CIL perverse explicatur: m[er(enti) e]t.*

n. 68 (a. e. M. XV p. 213 n. 90 = III 12434) **Bederli.**
. . . leg I I|tal milivit (sic!) ann XIII . . . . | . . . . s et statuas . duas fec|it . . .

n. 69 (Sbornik 18 p. 765 n. 65 = III 14409[1]) **Almi** (Lom).
Geminius Severus evoc leg I [It] | Domi(tius) Ce[l]eri(nus) opti(o) Aur Diony(sius) im(aginifer) Pet(ronius) Inge(nuus) tes(serarius) | Petron(ius) Sn . . . . . cor(nicen) M[e]tt(ius) Aqui(la) im(aginifer) Val(erius) Min(utius) cor(nicen) | Anni(us) Cel[e]r opti(o) Papi(rius) Vale(ns) tub(icen) Pom(ponius)

. . . n . . tib(icen) | Aurel Cornelia(nus) c(ustos) a(rmorum) Iul Felix c(ustos) a(rmorum) Coc(ceius) Urb(icus) cor(nicen) || P[er]enni(us) Primus co(rnicen) Sal(vius) Va[l]e(n)s cor(nicen) Iul Rus(ticus) ev(oc)

v. 1 traditur LEG I II

His fortasse adiunguntur:

n. 70 (III 6230) **Novis?** [in villa Moara Domneaska ducis Mavros].
[Imp . Caes . Divi M . Antonini Pii Germ . Sarma]t . fil . Divi . Commodi | [frater Divi Antonini Pii nepos Divi Hadriani p]ronepos Divi Tra . |[iani Parthici abnepos Divi Nervae adnepos L. Septimius Sev]erus . Pius Pert Aug | [. . . . et imp Ca]es L . Sep Severi | [fil . . . . . M . Au]r . Antoninus Pius

In latere dextro apri imago exstat. — cf. WDZ 14 p. 17 adn. 74; cf. supra p. 74 adn. 6.

n. 71 (III 7515) **Gerthina.**
. . . M An[t . .] | T Fl . . . . | Largo et [Messalino cos (a. 147)] | C Iu[l . . .

cf. supra p. 77 adn. 1.

n. 72 (a. e. M. XIV p. 160 n. 54 = III 12392) **Kamenopole.**
D . M | [Ael(ium)] Mucianum mil . leg | [. . . d]eceptum a barba|[ris Ae]l . Durazis fra . |[te]r eius memoriam . || [c]ausam posuit . | valete | viatores

n. 73 (a. e. M. XVII p. 178 n. 20 = III 12366) **Novis** (Carevec).
. . . . T]auriscum | [e]x . 7 veterano | avom suum | f . c

Atque magna cum dubitatione:

n. 74 (III 6233 = 7598) [in villa **Moara Domneaska**].
D . M Fl . Victor . bf se(mestris) | stip . XXIIII . vivus . sibi f | et . Flaviae . Viviae . f(iliae) . et . Iul | Longinae . coniugi et . Flaviis | V[er]o . et . Valerio . et . Vitali . f(iliis) . b . m

n. 75 (III 6234 + p. 1366) [in villa **Moara Domneaska**].
C . No[n]|nius . A|mandus | ex 7 m h m

In villa Moara Domneaska tituli militum non reperti sunt nisi legionis I Italicae atque fortasse cohortis cuiusdam Brittonum (III 7594).

n. 76 (III 7472) **Sexantis Pristis** (Rustschuk).
Heroni | . . Marcianus lecti vot sol

Domaszewski CIL: 'fortasse . . Marcianus 7 leg I It'. cf. supra p. 77 adn. 3 atque III p. 2316[48].

n. 77 (a. e. M. XIV p. 144 n. 6 = III 12380) **Dolna Verenica.**
Sa[t]urn[i]|nus ce[n]|turi[o] l[e]|gionariu[s] | ex voto

n. 78 (a. e. M. XVII p. 196 n. 63 = III 12439) **Hjusendže.**
. . . [leg leg I Ital] | Antoniniana[e] | una cum su|is . . v . s

Praeterea III 6131 = 7454, 7444, 7544, 7547, 7553, 7556, 12383.

2. Tituli extra Moesiae inferioris fines reperti.

n. 79 (VI 3492a, b) **Romae.**

Nomina . leg ‖ II . Aug VI . Victr XX . Victr VIII . Aug XXII . Prim I . Miner XXX . Ulp I . Adiut X . Gem XIIII . Gem I . Parth ‖ II . Adiut IIII . Flav VII . Claud I . Ital[i]c V . Mac[e]d XI . Claud XIII . Gem XII . Fulm XV . Apol III . Gall I[I . Parth] ‖ IIII . Scyth XVI . Flav VI . Ferrat X . Frete [III] . Cyren II . Traian III . Aug VII . Gem [I]I . Italic III . Italic [I]II . Parth

n. 80 (VI 2601 + p. 3369) **Romae.**

D . M . Aur . Bito . eq . co(ho)r VI pr | natione . Trax cives . Filopo|pulitanus . an . p . m . XXXV qui | mil . an . XVII . sic in legione I . It|alica . an . II . in cor . II . pr(a)et ‖ munifex . an . XIIII . factus | eq . mil . menses . n(umero) . X . fratri | dignissimo . Val . Aulusa|nus . pr(a)et(orianus) . inconparabili

n. 81 (VI 2785a) **Romae.**

. D . . M . | Val . Sarmatio . civis . Filopopu|letanus . militabit . in legi|one . prima . Italica . annis | IIII . in pretoria (sic!) . annis ‖ duo . vixit . annis . XXIIII . Sudi|centius . frater . Genitius . fecit | mi mo ri am

n. 82 (VI 2785b) **Romae.**

D M | Val . Sarmatio . civis . Filopopuletanus | militabit . in legione . prima . Italica | annis . II in pretoria . annis . duo . vixit | annis . XXIIII . Sudicentius . frater . Genetius

n. 83 (VI 2803) **Romae.**

Marcus Aurelius Flac[cus mil coh . .] | praetoriae 7 . Secundi [translatus ex legio]|ne . prima . Italica Dea[e . . . . . Aerecu?]|re deo sancto Heroni [votum] | reddidi.

n. 84 (VI 3584) **Romae.**

Ti . Claudio . Ti . f . [G]al . Vitali . ex equ[i]te . R(omano) | ordinem . accepit . in leg . V . [Mac] . successione | promotus . [ex] leg . V . Ma[c] . in leg . [I . It]al . donis . d | torquib(us) . armill . phaler . corona . val[l] . bello | Dacico . successione . promot . ex leg . I . Ital . in leg ‖ I . Miner . [it]er . donis . d . torquib . armil[l] . phaler | corona . val[l] . bello . Dacico . successione . pro|mot . ex leg . I . Miner . in leg . XX . Vict . item . prom | in leg . ead(em) . item . successione . promotus . ex leg . XX | Vict . in leg . IX [Hi]sp . succ . promot . ex leg . IX . [Hi]sp ‖ in leg . VII . Cl . p . f . item . successit . in leg . ead(em) | milit . 7 in II . (cohorte) . pr(inceps) . post(erior) . annis . XI . vixit . annis . XLI

v. 6 et 8 fortasse leg I Min . p . f . in lapide erat; cf. supra p. 80.

n. 85 (XIV 3631) **Tibure.**

D . M | Val . Sudio . militi . leg . I . | Ital . provinciae . Tracie | vixit . annis . XXXV . m̅ . VIII | dies . VII . fecit . Dulus ‖ frater . stup . X

n. 86 (XI 245) **Ravennae.**

D [M] | [Aur?]eliae Nu . . . . | [dul]ciss . quae . vi[xit ann . . . . . | mens] . II . dies . IIII . [h . . . | . . . r]ic . leg . pr . I[tal . . . ‖ cum] qua . dur(avit) . a[n . . .] . . . II . marit[us . . | . . . u]m vivus . . | . . . deside[ratissimae]

v. 5 nomen aliquod latere putare malim quam vocem trecenarii, qui nisi in cohortibus praetoriis non occurrere videntur cf. Mommsen Eph. epigr. IV p. 242 sq.

n. 87 (XI 385) **Arimini.**

L . Betutio . L . f . | Pal . Furiano | p . p . leg . I . Ital . IIviro | quinq . IIvir . i(ure) . d(icundo) . IIIvir | aedili . cur . pontif ‖ flamini . Divi . Nervae | patrono . colon | colleg . centonarior | amantissimo . patriae | l . d . d . d

n. 88 (XI 386) **Arimini.**

L . Betutio . L . f | Pal . Furiano | p . p . leg . I . Ital . IIvir | quinq . IIvir . i . d . IIIvir | aedil . cur . pontif ‖ flamini . Divi . Nervae | patrono . colon | colleg . fabr | amantissimo . patriae | l . d . d . d

n. 89 (V 481) **Pirani.**

D M | L . Papius | Marcellinus | v(ivus) f(ecit) [sibi e]t | Mu[ciana]e ‖ Secu[ndina]e uxor | lib lib [et po]st eorum | vet . l . p . It

n. 90 (V 914) **Aquileiae.**

D . M | Fla . Augustalis | leg . pri It . Moes . milita|vit . annis . V . mes . VI . die | XII . oras . IIII . vixit . annis ‖ XLI . mes . VII . die . XV . oras | IIII . abuit . coniugem . C|astorinam . annis | VIII . mes . III . die . VI . oras | IIII . et . filium . Stircorium ‖ qui . vixit . an . III . mes . VII . d . I | et . or . VI . supra . vixit . pater | die . XLVII . posuit . titolum | Cas(torina) . con . p(ari) . ca(rissimo) . suo

n. 91 (V 7667) **Dogliani** (Augustae Bagiennorum).

Maria . C . f . Quarta | testamento . fieri . iussit . sibi . et | C . Albio . C . f . C[a]m . Severo | f . militi . leg . I . Italicae . et | P . Albio . C . f . Secundo ‖ P . Albius . Secundus . f . idem | heres . faciundum . curavit

n. 92 (a. e. M. VI p. 79 n. 9) **Aquileiae.**

L . V[ibi]us | Va[l]ens | vet . leg . I . Ital | v(ivus) . f(ecit) . sib[i et] | Vibiae . ef . . . . ‖ Vibia . . . . . | cviri . . . . .

n. 93 (XII 2601) **Genevae.**

Blandio . C . [f] | Vol . Latino . 7 . le[g] | I . Ital . 7 . leg . II . Aug . 7 . le[g] | VIIII . Hispan . 7 . leg . XX . . | [d]onis dona[to]

n. 94 (III 1906) **Novis Dalmatiae.**

. . . . s | Fort(unae) . R[educi] | T . Fl . Sab[inus] | b[f] . cos . l[eg] | T . Ital ‖ v . s . l . m

n. 95 (III 2008) **Salonis.**

Aur . Martialis . | mil . leg . I . Italici (sic) . | s . t . XXVII . et . Ael . | coniu(n)x . aeius . et . | Martiali . filio . ‖ eorum . uno . fato | decepti . Disdozi | frat . et . (h)eres . | eorum . posuit .

n. 96 (III 2009) **Salonis.**

D M | Aurelio Muca|trae . mil . leg . | I Italicae . stip | XIIII Aurel . ‖ Sabasianus | . mil . leg . s(upra) . s(criptae) . | . b . m . p .

n. 97 (III 2010 + 8576) **Spalati prope Salonas.**

D M | Aurelius . Ponti|anus miles . l . g . pri | Italica stipendio|rum XXVI . [q]ui vixit an|nos . L . Aurilius [Q]u|intianus titulum | patri pientissi|[mo pos]uit

n. 98 (III 2023 + p. 1030 + n. 8578) **Uragnizza prope Salonas.**
Faniae. Maximae | innocentissim[a]e. puellae | quae. vixit. ann. II. m. VIIII | Aelius. Marti[a]nus. b. f. cos | leg. I. Ital. dulcissimae

n. 99 (III 2032) **Salonis.**
..... rn .... | ... Herenn(ius) ... | ... leg I Ita ...

n. 100 (Bull. Dalm. XIV p. 65 n. 32 = III 12899) **Salonis.**
...... ial .. | .. leg I Italice | Severianae st[i]|pend XVIII vixi[t] | .... || a ... [Au]rel | Mar[ci?]anus | mil leg s(upra) s(criptae) con|tubernalis | b m p

n. 101 (Bull. Dalm. XVII p. 101 = III 13909) **Salonis.**
...... leg. I. Ital ..... *vel* ... leg. I. Ita ....

n. 102 (III 14631) **Stolac.**
I o m | Iul. Hercu|. lanus. | bf. cos. leg | . I. Ital

n. 103 (III 1781) **Naronae.**
I. o. m. | p(ro). s(alute). d(omini). [n(ostri)] | [M]. Ul[p] | Kalen|dinus || b[f]. cos | leg Ital | Fusco II | [et Dextro] co[s] (a. 225)

cf. supra p. 89 adn. 5.

n. 104 (III 8719) **Salonis.**
D M | Ael. Vitalis | qui vixit ann. | [p. m]. XIIII. Aur Ianua|rius mil. leg Italic || et Quirilla mater | parentes filio | infelicissimo | miserrimo. | posuuerunt (sic)

cf. supra p. 89 adn. 5.

n. 105 (III 10036a = 13272) **Brekovica prope Bihač.**
D. M | L. Lentidi(us) | Saturnini(us) | vet. leg. p. ᛏ. | p. f. vi(v)us. p(osuit). si(bi). || ... Aug(usti). et. co|[niugi]. Ul(piae). Cris. | pinae an. LX | h. s. e.

Qui titulus vix ad hanc legionem pertinet, cum cognomen p. f. omnino non occurrat, cognomina VIp VIf vel VIIp VIIf in nummis tantum exstent. Ad legionem I Adiutricem titulum refert Patsch, Wiss. Mitteilungen aus Bosnien VI p. 174.

n. 106 (III 7334) **prope Serrhas**(?).
.... us D f | .. Octavius. Se|[c]undus. Curib(us). Sab(inis). mil. coh | X. urb. trans[l]at. in. coh. VI. pr | [s]ing. trib. benef. trib. sing. pr || [pr]aet. optio. in. centur. sign | [f]is[c]o. curat. cornicu[l]. trib | ev. Aug. [7 l]eg. X. [F]retensis | donis. don. ab. Divo. Hadrian | ob. bell. Iudaicum. corona. au|rea. tor[q]uib. armillis. p[h]aler | et. ab. eodem. promotus. succes | in. leg. prim[a]m [I]ta[l]ic. [p]rimipil. leg | eiusdem. adlectus. decurio. in | colonis. et. or[n]am. [I]I v[i]ralib || [or]n. Actiae. Nicopoli. et. Ulpia .....

n. 107 (III 8198). **prope Scupos.**
M Licinius M f | Volt Luco Optat[us] | [v]et leg I Ital [m] ....

n. 108 (III 889 + p. 1382) **Potaissae.**
I o m | Dreb|ias m(il) | leg I Ita

n. 109 (Materialy po Archeologij Rossij XVII p. 17 n. 16 = Sitzungsber. Berl. Akad. 1895 p. 520 n. 11 = Inscr. Pont. Eux. IV 120 = CIL III 13751 a) **Chersonesi.**
D M | Aur. Victor. mil. leg. | . I. Ital. v[i]xit. an. XX. X. VI | mil. an. XVIII Val(eria). | Marcia. uxor. eius. || et Val. Bessa filia | heredes. b. m. p.

n. 110 (III 42) **Thebis** (Aegypti).
C Maenius Haniochus | domo Corinthi 7 leg XI Cl p f item I | Ital item II Tr(aian) f(ortis) audivi Memnonem ante semihoram | XIII K Mai Gallicano et Titiano cos eodem die | hora prima et dimidia (19. April 127)

n. 111 (VIII 2786 + p. 954 + p. 1739) **Lambaesi.**
D M | P Aelio P f Ro|mano ex My|sia 7 leg. III Au(g) | et. VII. Cl. XX || V. V. et. I. Ital | donis do|nato de|bellatori | hostium || prov. His(paniae). | et Mazicum | reg(ione). Mon|tens(ium). Vale|ria. Inge|nua con|iunx cum | Tu[rb]one | et Roma|na filis || fec

n. 112 (VIII 3005 + p. 1740) **Lambaesi.**
[M. Tuccio .....] | 7 leg. I. Adiut. 7. leg XX. V. V. | 7 leg. XI. Cl. 7 leg. I. Ital | 7 coh. III. Bra. vix. an. LXII | ex HS VIIIICC. n(ummum). M. Tuccius | Urbicus. et. M. Tuccius || [Pro]culus. fili. pient[issimi]

Huc accedunt:

n. 113 (Clermont-Ganneau, Bibliothèque de l'École des hautes Études XLIV p. 141; Archaeological Researches in Palestine I (1899) p. 465 = III 14155²; cf. III 13586) **Bettir** (Palaestinae).
Sum ...... | M[a]rti ... u ...... | et Victor | centur .. vexil ... | leg. V. Mac. et XI. Cl || ...... | ..... |

cf. supra p. 82 sq.

n. 114 (VI 3628) **Romae.**
D. M | L. Senti. Bellicani op(tio) le[g I] It(al) [7] | pri(mae cohortis). pri(ncipis). pri(oris). Sentius Hermes lib. pos

v. 2: e coniectura Mommseni; traditur OPLEXTITO.

n. 115 (XI 3761) **Careiae.**
[A. Rom]anius. A. l. Bassus | sibi et | [R]omanio. A f. Restituto | .... oniae. 7. l. I | I · ^ · I

v. 4/5: 7 leg I Ital?

n. 116 (III 14359²⁷ + p. 2328¹⁹⁵) **Vindobonae.**
[I. o.] m N[ept]u[no | S]alaceae Nim[phis Danu|v]io Agauno di[s deab|us]q(ue) omnib(us) v[etera|n]i Aug. su[b] c[ura] || A[u]r[eli Se]cu[ndi p p (vel 7)] | .. ra .... | v f in. leg I [It]a[l ...] | r .... a .. | Aurel(io) Mon[t]a[no ...] || a(gente) [v(icem)] leg(ati). l[e]g s s e[t ... Sa|tu]rn[i]n(o) a ... | . Aurel .. | ... nn mar? ... | ... or .. au ... n ... || ... Paterno c[os ... | ... kal?] Maia[s]

Ad legionem I Italicam non referendus est III 3306 Sopianis repertus: cf. III 15149.

f) Tituli spurii.

III 245*, (324*), 328*, (V 698*), VI 1235*, 1784*, 1963*, 2027*, 2878*, IX 615* (cf. p. 45* sub Ital. et l. Ital.), X 890* (= Orelli 3613), XI 466*, (811*), XIV 202*, 296* (= Orelli 3072).

g) Tegulae legionis.

1. In Moesia inferiore repertae.

leg . I . Ital: n. 117 (III 785, 1 = 6239 a) **Novis** (Sištov).
n. 118 (III 6239 b) **[Bukarest].**
n. 119 (a. e. M. XIV p. 146) **Oesci** (Bešli).
n. 120 (a. e. M. XIV p. 15 n. 29 = III 12522) **Reka prope Petroschani.**
l . I . Ital: n. 121 (III 6239 c) **Troesmi.**
leg I Itali: n. 122 (III 7617) **Novis** (Sištov).
. . g I Itali: n. 123 (III 6239 c) **Troesmi.**
leg I Ita: n. 124 (III 14464[1]) **Belene.**

2. extra Moesiae fines repertae.

leg I Ital: n. 125 (III 8072) **Turn-Severin.**
n. 126 (a. e. M. XIV p. 14 n. 25 a—e = III 12530 a) **Draschna-de-sus.**
LEG Z IIA|I: n. 127 (VIII 10474, 13) **[Constantinae].**
. . g I Itali . . .: n. 128 (VIII p. 911) [*in museo Sangermanensi*] **ex Algerio allata.**
leg I It: n. 129 (Cagnat, ann. épigr. 1900 n. 200 = Rostowzew ap. Lehmann, Beiträge z. alt. Gesch. II p. 93 = III 14215[4]) **Aï-Todor** (ad *Chersonesum*).
Per . L . A . C . 7 . | leg . I . It . praep | vex . Moes . inf

h) Nummi legionis.

n. 1. Cohen, méd. imp. IV² p. 31 n. 257 (= Eckhel, doct. num. VII p. 168): IMP · CAE · L · SEP · SEV · PERT · AVG; ℞: LEG · I · ITAL · TR · P · COS; aquila.
n. 2. (?) Cohen, méd. imp. IV² p. 31 n. 255: IMP · CAE · L · SEP · SEV · PERT · AVG; ℞: LEG · ITALICA TR · P · COS; aquila.
n. 3. Cohen V² p. 387 n. 455—457 = Kolb, Wiener Numismat. Zeitschr. V p. 66 n. 9—11: GALLIENVS AVG; ℞: LEG · I · ITAL · VI · P · VI · F; aper.
n. 4. Cohen V² p. 387 n. 458 = Kolb l. l. n. 12: GALLIENVS AUG; ℞: LEG · I · ITAL · VII · P · VII · F; taurus marinus (Cohen) vel taurus (Kolb) cf. supra p. 26.
n. 5. Kolb, n. 13—15: GALLIENVS AVG; ℞: LEG I ITAL VII P VII F; bos marinus.

APPENDICES.

I. Ubi legio XIV Gemina Martia anno 68 versata sit. (ad p. 22)

Initio anni p. Chr. n. 69 legio XIV Gemina Martia in Illyrico castra habuit[1]). Quo eam a Galba demum translatam esse mihi quidem non verisimile esse videtur. Nam primum nihil inveniri potest, cur, si utraque legio a Nerone in Galliam missa esset — eo enim ad bellum contra rebelles gerendum legionem quoque XIV Geminam delegatam esse Ritter et M. Meyer protulerunt[2]) — Galba legione I Italica in Gallia relicta legionem XIV Geminam in Illyricum translaturus fuerit. Deinde: num putemus eum legionem Neroni fidelissimam[1]) in eas provincias dimisisse, quarum legiones ipsae quoque a Nerone excitae erant[3]) atque Verginium Rufum, quippe qui a militibus suis imperator consalutatus tarde et cunctanter in Galbae partes transisset[4]), legationibus adierant?[3]) Si Galba copias a Nerone coactas dimittere voluisset, legio XIV Gemina in Britanniam remittenda erat, cuius exercitus per totum annum 68 quietus manserat[3]). Denique admonendum est Galbam copias eas, quas Nero extremo aetatis anno auxilio arcesserat, in stativa non remisisse[5]).

[1]) Tac. hist. II 11. Eam tum in Dalmatia hiemasse neque e Taciti verbis neque, ut M. Meyer (Geschichte der legio XIV Gemina, Philologus 47 p. 660) putat, e monumentis huius legionis in Dalmatia repertis concludere licet, cum illorum titulorum, quos omnes collectos invenies a Patschio (Wissenschaftliche Mitteilungen aus Bosnien VII p. 85 sqq.), nullum ad illum annum referre necesse sit, plerosque altero vel tertio saeculo attribuendos esse certum sit. [2]) F. Ritter, Jahrb. des Vereins von Altertumsfreunden im Rheinlande (Bonn. Jahrb.) 36 p. 131, p. 132 adn. 3. Metellus Meyer l. l. p. 660, 670. [3]) Tac. hist. I 9. [4]) cf. supra p. 20 adn. 2. [5]) cf. supra p. 19 sq.

Quare mihi quidem verisimillimum videtur esse legionem XIV Geminam iam Nerone imperante in Illyricum venisse. Quod si statuimus, prorsus reiciendum est, quod Ritter[1]) dubitanter proposuit eam e Britannia esse accitam, ut Neronem a Vindice et Galba defenderet. Qui enim, quae legio extremis Neronis diebus in Illyrico versabatur, mense Martio vel Aprili[2]) e Britannia in Galliam advolare potuit? Praeterea ne Ritterum sequamur, haec obstant: Ad Vindicis seditionem sedandam exercitus Germanicus et in promptu erat et, cum e septem vel octo legionibus constaret[3]), Neroni satis magnus videri necesse erat; quare hoc nuntio allato eum securum videmus[4]). Eundem exercitum ad Galbam opprimendum suffecturum esse putandum erat, cum huic duo tantum legiones praesto essent[5]), neque oportebat legionem XIV Geminam excire, qua excita Germanicus tantum exercitus, ut proximus, auctus esset. Multo maioribus copiis tum demum opus erat, cum Verginium Rufum exercitumque Germanicum ipsum quoque defecisse Romae fama erat. At tum dementis erat illam legionem e Britannia accire, cum periculum esset, ne haec una legio, si per fines Gallorum castris Germanici exercitus vicinos iter faceret, a legionibus Vergini Rufi circumveniretur neve aut trucidaretur aut in Rufi partes traheretur.

Quae cum ita sint, m. q. s. elucet hanc legionem a Nerone contra rebelles auxilio arcessitam non esse, electam[6]) vero esse ad bellum ad Caspias portas gerendum. Qui enim has in regiones e Britannia itinere terrestri proficiscebatur, ei provinciae Danuvianae peragrandae erant. Neque cum Rittero[7]) in eo haerendum est, quod Tacitus[8]) vexillationes e Britannia ad Caspias portas praemissas esse refert; nam ut anno 69 Caecina et Valens e Germaniis cum vexillationes legionum, tum singulas legiones (XXI Rapacem et V Alaudae) secum in Italiam duxerunt[9]), ita Nero praeter illas vexillationes etiam totam legionem XIV Geminam e Britannia ad Caspias portas delegare potuit.

---

[1]) Ritter l. l. p. 131, p. 132 adn. 3. [2]) cf. supra p. 21 adn. 2. [3]) Domaszewski, Rhein. Mus. 47 p. 215. [4]) Suet. Nero 40; Dio 63, 26, 3. [5]) Tac. hist. I 16 (V 16) + II 11; Suet. Galba 10; Pfitzner l. l. p. 45 sq.; Jünemann l. l. p. 8. [6]) Tac. hist. II, 11: addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos. [7]) l. l. p. 131. [8]) hist. I 6. [9]) Tac. hist. I 61; cf. II 100; II 89.

Restat ut admoneam, si tenemus legionem XIV Geminam iam Nerone vivo in Illyricum venisse, stare non posse sententiam Ritteri[1]) et Meyeri[2]), quippe qui existiment hanc legionem, cum per Galliam proficisceretur, Vindicis Galbaeque seditione exorta a Nerone in Italiam auxilio arcessitam esse; id quod alia quoque de causa a probabilitate abhorret. Mirum enim esset, si Nero legionem e Gallia in Italiam arcessisset, cum et Galbam et Vindicem et Rufum, si Neronem petere in animis habebant, per Galliam Alpesque iter facere necesse esset cumque ipse copias Turpiliano Rubrioque Gallo ducibus ex Italia contra rebelles praemitteret[3]). Contra multo probabilius est legionem e provinciis Danuvianis, quo ad Caspias portas proficiscens pervenerat, a Nerone excitam esse, ut Gallia cisalpina peragrata cum hostibus per Galliam transalpinam appropinquantibus congrederetur. Cohortes autem Batavorum, auxilia huius legionis[4]), tum, ne contra Gallos arma ferre cogerentur, a legione digressas esse putare licet legionemque nescio quomodo impedivisse, ne Italiam intraret[5]).

II. Quo die pugna Cremonensis commissa sit quantaque celeritate speculatores Romani usi sint.

(ad p. 35)

Pugnam Cremonensem commissam esse inter a. d. VI et pridie Kal. Nov., probabiliter a. d. V/IV Kal. Nov. Nissen[6]) contendit, nocte vero, quae erat inter a. d. III et pridie Kal. Nov., Chambalu[7]) ostendit. Huius argumentationem si examinabis, eum recte statuisse cognosces; nam quod in eo erravit, quod Iosephum[8]) et Dionem[9]) secutus Caecinam Cremonae, non Hostiliae[10]) defecisse sibi finxit, eo compensatur, quod speculatores in dies 160 mp. confecisse probari nequit. Quem numerum Chambalu[11]) ratione

---

[1]) l. l. p. 132 adn. 3. [2]) l. l. p. 660; p. 670 sq. [3]) cf. supra p. 20 adn. 5. [4]) Tac. hist. I 59. [5]) Tac. hist. II 27; Mommsen, Hermes 13 p. 101 adn. 2; Cichorius apud Pauly-Wissowa, Realencyclopädie, s. v. cohors IV p. 250. [6]) Rhein. Mus. XXVI p. 538 sqq. [7]) De magistratibus Flaviorum. diss. Bonn. 1881 p. 16 adn. 5. [8]) Ios. bell. Iud. IV 11, 2, 634 sqq. Niese. [9]) Dio 65, 10, 2 sqq. [10]) Tac. hist. III 14. [11]) l. l. p. 8.

instituta collegit e verbis Taciti[1]), qui memoriae prodidit procuratoris Belgicae de seditione exercitus Germaniae superioris litteras post novem dies Romam allatas esse. Non autem necesse erat nuntium, qui eas attulit, per Alpes Cottias 1440 mp. emetiri, cum via, quae erat per Alpes Graias[2]), 100 mp. breviore uti liceret. Qua via si profectus est, paulo minus 150 mp. in dies confecit. Eadem fere celeritate, si minimum temporis spatium ponimus, usus est is, qui Maximinos ad Aquileiam necatos esse Romam nuntiavit; nam 'medio forte die'[3]) illi trucidati sunt; quarto autem die post nuntius Romam advenit, cum imperatores in theatro erant[4]): $2^3/_4$—$3^1/_4$ igitur dies erat in itinere, quod per Ravennam fecit (403 vel 409 mp.)[5]). Ex eo autem, quod aquilifer quartae legionis exercitum Moguntiaci versantem Kal. Ian. anni 69 defecisse nocte insequenti Vitellium Coloniae Agrippinae degentem certiorem fecit[6]), certum quicquam effici posse nego, quoniam nescimus, qua hora profectus sit, qua hora advenerit, id quod scire necesse est, cum de tantulo temporis spatio agatur. Si ea celeritate vectus est, qua 150 mp. in dies conficiuntur, 108 mp.[7]) emetienti $17^1/_4$ horis opus erat. Itaque si tertia ferme diei hora (i. e. hora nona vel decima secundum nostram computationem) Moguntiaco discessit, tertia vigilia (hora altera vel tertia post mediam noctem) Coloniam pervenire potuit. Quae cum ita sint, non cogimur putare speculatores plus 150 mp. in dies pervehi consuevisse. Nam qui celerius iter fecerunt, omittendi sunt, si de speculatorum proficiscendi ratione quaestio est. Duo autem mihi innotuerunt: Tiberius, qui ad Drusum fratrem contendens 200 mp. die ac nocte pervectus esse dicitur[8]), et Mallius Glaucia, qui, si eadem celeritate per totum diem vectus esset, qua mense Iunio, opinor, decem horis n o c t u r n i s 56 mp. confecit[9]), plus 200 mp. emensus esset; id quod fieri potuisse nego, cum equos

---

[1]) hist. I 12; 18; 55. [2]) Itin. Ant. p. 344, 4; cf. Otto Cuntz, Wiener Studien 15 p. 294. [3]) vita Maxim. II. 23; cf. Herod. 8, 5, 9: *περὶ μέσην ἡμέραν.* [4]) vita Maxim. II. 25. [5]) Itin. Ant. p. 124, 8—126, 9; CIL XI 3281/4; tab. Peut.; CIL V p. 939; Otto Cuntz l. l. p. 295. [6]) Tac. hist. I 55; 56. Zangemeister, WDZ VI p. 240 adn. 17. [7]) Orelli-Henzen 5236. [8]) Val. Max. 5, 5, 3. Plin. hist. nat. 7, 19 (20), 84. Friedländer, S.-G. II[6] p. 24. [9]) Cic. pro Rosc. Am. 7, 19.

virumque interdum vires reficere opus esset. Quorum uterque breve tantum itineris spatium pervolavit. — Hoc quoque admoneam: qui 150 mp. uno die conficit, is singula chilometra 7,20 minutis emetitur; nostra autem memoria qui celerrime iter, quod est inter Berolinum et Viennam, confecerunt, Reitzenstein et Starhemberg equis non mutatis singula chilometra 7,36 vel 7,56 minutis perequitaverunt; equos optimos corruperunt[1]).

III. De longitudine viarum numeroque mansionum, quae erant inter Alexandriam ripamque Danuvii et inter Cremonam Moesiaeque fines.

(ad p. 43—45, 50)

Cum adhuc certo scire non possimus, quo loco sita fuerint permulta illa oppida atque vici, quorum nomina in Itinerariis afferuntur, nedum omnes flexus atque anfractus viarum Romanarum cognitos habeamus, nos in tabulis iis, in quibus nostra aetate orbis terrarum depingitur, longitudinem illarum viarum non satis accurate metiri posse censeo. Quare nolo adhibere spatiorum notas a Lapio[2]) e tabulis petitas, praesertim cum eum in nominibus Serbicis, Bulgaricis, Turcicis afferendis nonnunquam errasse et e Kanitzii libellis[3]) cognoverim et ab amicis Bulgaricis acceperim.

a) Q u a e v i a f u e r i t i n t e r A l e x a n d r i a m e t B y z a n t i u m: Cum et tabula Peutingeriana[4]) in hac via describenda lacunis scateat neque Itinerarium Hierosolymitanum[5]) totam eam exhibeat, numeros in Itinerario Antonini traditos computavi. Efficiuntur 1604 mp[6]). Monendum autem est et in Itinerario Hierosolymitano et in tabula Peutingeriana iis locis, ubi eiusdem viae ratio habetur atque in Itinerario Antonini, saepe paulo minores numeros legi quam in Itinerario Antonini. — Numeros vero Itinerarii Antonini a

---

[1]) cf. Frhr. v. Reitzenstein, Mein Distanzritt Berlin-Wien, Berlin 1893. [2]) Marquis de Fortia d'Urban, Recueil des itinéraires anciens. Paris 1845. [3]) cf. infra p. 119. [4]) Die Weltkarte des Castorius ed. K. Miller. Ravensburg 1888. [5]) Itinera Hierosolymitana saeculi IV—VIII ed. P. Geyer = Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum vol. 39 p. 1 sqq. Wien 1898. [6]) cf. supra p. 43.

Partheyo et Pindero[1]) adhibitos mutandos esse putavi his locis: p. 142, 5 Wess. equidem pro mpm. XXVIII, quod in codice P traditum (cod. D hac in parte deest) editores in textum receperunt, scribere malo cum codd. ω mpm. XVIII; nam, si ita legimus, inde a p. 142, 4 ad p. 143, 1 65 mp. efficiuntur (contra 75 mp. sec. cod. P), qui numerus neque multum differt a 66 mp., quae sunt in tab. Peut., neque a 63 mp., quae exstant in Itin. Hieros. codice Veronensi. — p. 143, 4 cum Ottone Cuntzio[2]) lectionem codicis P: mpm. XXXI (codd. ω: XXXIII) recipiendam esse puto, cum idem numerus in Itin. Hieros. p. 575, 11—12 efficiatur. — p. 145, 4: cum Cuntz[3]) codicem P quoque mpm. XXVI exhibere admonuerit, haec lectio praeferenda est[4]). — post p. 145, 5 aliquot versus excidisse Cuntz suo iure statuit[5]) atque sec. Itin. Hieros. 579, 3—580, 4 57 mp. inseruit. Hoc loco in Itin. Ant. via, quae est per Aegaeas, 24 mp. longior describitur. — p. 148, 2: Qui numerorum et in tab. Peut. (16 mp.) et in Itin. Hieros. 582, 7 (13 mp.) exstantium rationem habet, lectionem codicum PL^2 mpm. XIIII adhibere malit quam codicum L^1BR mpm. XXIIII (quo e numero et XXVIII Σ et XXVII ξ [praeter Σ] depravatum esse potest): cum enim legerit scribam L^2 codici L^1 lectiones codicum ω intulisse[6]), sibi persuadebit in archetypo codicum ω idem atque in P infuisse. Tamen hoc loco mutare non audeo; nam summa distantiarum huius viae (p. 124, 5) in cod. P item atque in ω 802 mp. est, quamquam e singulis numeris 780 mp. tantum computantur (802 mp. sec. cod. ω); quare in archetypo quoque 802 mp. scriptum esse verisimile est. Qui numerus non efficitur, nisi hoc loco cum editoribus codicum ω lectionem retinemus. — Etiam p. 154, 4 adhuc mutare nolui, quamquam Cuntz[7]) coll. p. 155, 2 scripturam codicis P: mpm. XX (ω: mpm. XXIIII) praeferre videtur: Hermupolis enim etiam p. 155, 1—2 44 mp. ab Alexandria distat, ut nesciam an ordo tantum numerorum turbatus sit.

Mansiones in Itinerario Antonini inter Alexandriam et Byzantium 74 enumerantur (praeter Chalcedonem)[8]). In Itinerario

[1]) Itinerarium Antonini Augusti et Hierosolymitanum edd. G. Parthey et M. Pinder. Berlin 1848. [2]) Wiener Studien XV p. 264. [3]) l. l. p. 267. [4]) Cuntz l. l. p. 292. [5]) l. l. p. 291 sq. [6]) Kubitschek, Wiener Studien XIII p. 193. [7]) l. l. p. 265. [8]) cf. supra p. 44.

Hierosolymitano tres mansiones desiderantur; suspicio autem est iis locis vitium irrepsisse, ubi solito maius spatium inter singulas mansiones intercedit. Atque primum et Tottaium (p. 573, 9 cf. p. 141, 3) et Rosolaciacum (p. 575, 10 cf. p. 143, 3) in editionibus mutatio appellatur. Equidem autem puto p. 573, 9 in codice P illud ⟨mutatio⟩ scribae errore in textum insertum esse, cum in codice V recte ⟨mansio⟩ scripta sit: nam si codicis P lectionem recipimus, hoc loco inter duas mansiones 54 mp. intersunt (56 sec. Itin. Ant.); praeterea p. 575, 7 duodecim mansiones inter Nicomediam et Ancyram fuisse legimus, cum in cod. V (in cod. P post p. 575, 2 mansio Malegordis omittitur) undecim tantum mansiones enumerentur: duodecima igitur erat mansio Tottaium. Idem mihi p. 575, 10 in utroque codice accidisse videtur, ubi inter duas mansiones 43 mp. efficiuntur (43 sec. Itin. Ant.), cum inter Viminacium et Alexandriam sexies tantum (quinquies in Itin. Ant.) plus 30 mp., plus 35 (34 in Itin. Ant.) nunquam mansiones alia ab alia distent. Tamen adhuc mutare non audeo, cum corruptela, quae inest in summa mansionum p. 580, 1 tradita (XVIII pro XIIII vel XV legitur), etiam tum non tollatur. Post p. 583, 6 denique mansionem Byblum excidisse iam Chambalu[1]) admonuit: ibi inter duas mansiones 48 mp. interfuisse tradebatur.

b) Via, quae erat inter Byzantium et Viminacium, sec. Itin. Ant. 618 mp. longa erat. In tabula Peutingeriana 51 mp. desunt exceptis locis lacunosis, in Itinerario Hierosolymitano 57 vel 52 (sec. cod. P) mp. desiderantur. Quam ob rem ad utriusque numeros corrigendos coniecturas protulerunt: Kanitz, Donau-Bulgarien I p. 176; Denkschriften der Wiener Akademie 41 p. 82; Tomaschek, Zeitschrift für österr. Gymn. 1867 p. 710 sqq; Jireček, Die Heerstraße von Belgrad nach Konstantinopel, Prag 1877, p. 165 sq. — Itin. Ant. 134, 4 mpm. XXXIIII legi; nam postquam Kubitschek[2]) ostendit, quid cuique codici tribuendum sit, aut cum cod. P mpm. XXIIII aut cum codd. LBR mpm. XXXIIII (mpm. XXXIII in ξ tantum exstare videtur) scribendum est; mpm. XXXIIII magis placet, cum et Itin. Hieros. et tab. Peut. 32 mp. exhibeat. — Mansiones hac in via sec. Itin. Ant. 29 exstabant; in Itin. Hieros. excidisse videntur: post p. 568, 8 mansio Pizus cf. Jireček l. l. p. 165

[1]) Philologus 44 p. 510 adn. 48. [2]) Wiener Studien XIII p. 177 sqq.

adn. 3; post p. 569, 1 civitas Hadrianopolis cf. Tomaschek l. l. p. 711; quae si inseruntur, constat summa mansionum p. 571, 2 tradita.

c) Viam, quae erat inter Byzantium et Oescum, non minus 430 mp. fuisse arbitror. Quem numerum hoc modo computavi: Philippopolin a Byzantio 298 mp. distare ex Itin. Ant. discimus[1]). Dein Oescus a Philippopoli 132 mp. abest, si secundum tabulam Kiepertianam[2]) metimur. Nam tabulam Peutingerianam, in qua sola haec via depingitur, hoc quoque loco depravatam esse ex eo intellegitur, quod et inter Oescum et Ad Putea numerus deest et summa distantiarum 77 mp. est, cum in derecto Philippopolis 120 fere mp. a Danuvio distet. Cum numero autem e tabula Kiepertiana petito congruit longitudo viae hodiernae, quae est ab urbe Philippopoli per oppida vicosque Banja, Karlovo, Sopot, Troian, Loveč, Pleven ad vicum Gigen: haec enim secundum tabulas Bulgaricas[3]) 198 fere chilometrorum est. — Hanc viam, cuius vestigia adhuc exstant[4]), iam ante Vespasiani aetatem munitam esse supra[5]) ostendi.

d) De via, quae erat inter Byzantium et Troesmin, quam 550 fere mp. longam fuisse suspicatus sum, haec mihi admonenda sunt: viam illam in Itin. Ant. traditam, quae erat inter Ostudizum et Deultum, iam Vespasiani temporibus exstitisse cum multo minus probabile sit quam viam per oram maritimam munitam, huius viae litoralis potissimum rationem habendam esse puto. Quare usque ad Anchialem numeros dedi e tabula Kiepertiana petitos (207 mp.) — tabulae enim Peutingerianae fides non habenda est, quia in ea 96 tantum mp. colliguntur, cum linea recta 140 fere mp. longa sit — iis adiunxi numeros Itinerarii Antonini (288 mp.) excepta ea parte viae, quae est per Marcianopolim a Traiano demum conditam[6]); pro qua parte inserui viam litoralem in tabula Peutingeriana exstantem, quae est 55 mp. (58 mp. sec. tab. Kiepert.).

e) De via, quae erat inter Cremonam et Moesiam: Viam inter Cremonam et Veronam munitam, quamquam in Itinerariis non traditur, tamen anno p. Chr. n. 69 exstitisse e Taciti verbis[7])

---

[1]) Et tab. Peut. et Itin. Hieros. hac in parte corruptum esse iam admonui. [2]) Formae orbis antiqui, tab. XVII. [3]) Kriwoschieff, Karta na Bulgarija, Philippopolis; Georgi Danoff, Karta na Bulgarija, Kazanlik. [4]) Jireček, Heerstraße 156 sq.; a. e. M. X p. 99 sq. [5]) p. 44 adn. 1. [6]) Amm. 27, 4; Iordan. Get. 16, 93. [7]) Tac. hist. III 15; 18; 21; cf. CIL V 8045.

apparet. Eam 63 fere mp. longam fuisse (59 mp. in derecto haec oppida inter se distant) e tabula a Kieperto CIL V 2 adiecta cognovi. Verona autem a Moesiae finibus paulo plus 600 mp. aberat: conficienda enim erant Singidunum usque ea via, quae erat per Emonam, Celeiam, Poetovionem, 603 mp. sec. Itin. Ant. 128, 2—132, 1, ubi p. 128, 3 cum codice P mpm. XXII (cod. ω: XXVII) lego, cum tab. Peut. 22 mp., Itin. Hieros. p. 559, 2—3 21 mp. exhibeat[1]); altera via per Emonam, Sisciam, Incerum, Cibalas, Sirmium 618 mp. sec. Itin. Ant. 128, 2—129, 2; 259, 11—261, 3 (cuius partis numeros restituit Otto Cuntz, 'Wiener Studien' XV p. 266); 131, 5—132, 1; tertia via per Emonam, Sisciam, Servitium, Cibalas, Sirmium mea quidem sententia 617 mp.: computantur enim ex Itin. Ant. 128, 2—129, 2; 259, 13—260, 2; 268, 1—7; 131, 5—132, 1 526 mp.; inter Sisciam et Servitium intercedunt 58 mp. sec. tab. Kiepert. (30 + x sec. tab. Peut.); praeterea autem vereor, ne et post p. 268, 6 mpm. XXXIII et ante p. 268, 6 Marsonia exciderit neve scribendum sit:

Cirtisia	mpm.	XXIIII
Marsonia	mpm.	XXV
Urbate	mpm.	XXXIII

Quod si inseritur, ut intellegatur, haec itineris pars quousque congruat cum tabula Peutingeriana, liceat utriusque numeros apponere:

Itin. Ant. 268, 3—7	Tab. Peut.
Ulmo	Ulmo
	XI
XXII	Cansilena
	XI
Cibalis	(Cibalis)
XXIIII	XXIIII
Cirtisia	Certis
XXV	XXV
[Marsonia]	Marsonie
[XXXIII]	XXXIII
Urbate	Urbate
XXIIII	XXIII
Servitti	Servitio

---

[1]) De ea parte, quae erat inter Aquileiam et Emonam, nuperrime egit Otto Cuntz, Jahrh. öst. arch. Inst. V Beiblatt p. 139 sqq.

Quarta denique via, quae erat per Emonam, Sisciam, Servitium, Saldas, Sirmium, 608 mp. longa erat (sec. Itin. Ant. 128, 2—129, 2; 259, 13—260, 2; 131, 5—132, 1; Sisciam autem a Sirmio 203 mp. distare e tab. Kiepert. discimus, cum in tab. Peut. duo numeri exciderint). — A Singiduno Viminacium aberat 48 mp. (sec. Itin. Ant. 132, 2; 133, 3) vel 50 mp. (sec. Itin. Hieros. 564, 2—8, tab. Peut., Kanitz, 'Denkschr. der Wiener Akademie' 1892 p. 7).

IV. Quo tempore Mucianus Dacos vicerit.
(ad p. 51)

Mucianus Dacis anno p. Chr. n. 69 in Moesiam irrumpentibus legionem VI Ferratam opposuit, postquam de pugna Cremonensi a. d. III/pridie Kal. Nov.[1]) commissa certior factus est[2]). Cum autem Cremona a Moesiae finibus 665 fere mp. abesset, 713 mp. a Viminacio[3]), ubi nescio an illa castra legionum sita fuerint, quae excindere Daci parabant[4]), Mucianus hunc nuntium per speculatores in dies 150 fere mp. emetientes[5]) non ante quintum diem i. e. Non. Nov. accipere potuit. Non multo post hunc diem eum victoriam a Dacis reportasse puto. Nam Romam advenit brevi postquam urbs ab Antonio capta erat[6]), certe ante Kal. Ian.[7]), si Iosepho[8]) fidem haberemus, quam Dessau[9]) et Schiller[10]) abrogant, iam postridie illius diei. Inter Romam autem et Viminacium 900 fere mp. intercedunt[11]). Ad quae conficienda, si quarto quoque die iter interrumpebatur[12]), 44 vel 48 diebus opus erat[13]). Quare, qui exercitus

[1]) cf. append. II. [2]) Tac. hist. III 46: Cremonensis victoriae gnarus. [3]) cf. append. IIIe. [4]) Tac. hist. III 46. [5]) cf. append. II. [6]) a. d. XIII vel XII Kal. Ian.; cf. Chambalu, De magistratibus Flaviorum p. 7 adn. 1. [7]) Tac. hist. IV 11 + 39. [8]) Ios. bell. Iud. IV 11, 4, 654 Niese. [9]) Prosop. Imp. Rom. II p. 281. [10]) Kaisergesch. I 2 p. 499 adn. 5. [11]) inter Viminacium et Singidunum 48 vel 50 mp., inter Singidunum et Aquileiam aut 453 aut 468 aut 467 aut 458 mp.: cf. append. III e; inter Aquileiam et Romam 403 vel 406 vel 409 mp.: cf. supra p. 116 adn. 5. [12]) cf. supra p. 45, cf. p. 44. [13]) Aut 34 mansiones + 95 mp. aut 33 mans. + 95 mp. aut 30 mans. + 95 mp. + 58 mp. aut 24 mans. + 95 mp. + 203 mp. (nam et 20 illa mp., quae sunt inter Interamnam et Ocriculum, et 24 illa mp., quae sunt inter Pisaurum et Forum Semproni, uno die confecta esse puto; praeterea cf. p. 50 adn. 5). Itaque milites 34—37 dies ambulasse, 10—11 dies requievisse existimo.

inter a. d. XI[1]) et pridie Kal. Ian. Romam pervenit, eum inter a. d. V Id. vel Non. Nov. et a. d. XIV vel XVIII Kal. Dec. Viminacio profectum esse coniciendum est. Itaque Mucianum Dacos inter Non. Nov. et a. d. XV Kal. Dec. anni 69 vicisse arbitror.

V. Quo tempore a qua gente Fonteius Agrippa victus atque interfectus sit.
(ad p. 56)

Apud Iosephum[2]) legimus Fonteium Agrippam, quem Mucianus Dacis devictis Moesiae praefecerat[3]), cum Sarmatis atroci proelio congressum, fugatum ipsumque interfectum esse. Hos Sarmatas Iazyges fuisse Mommsen[4]) dubitanter proposuit. Equidem vero mihi persuasi eos Rhoxolanos fuisse aliasve gentes ei Moesiae parti, quae postea inferior provincia erat, adiacentes, quia et Sarmatarum Iazygum principes quasi obsidum loco in potestate Romanorum erant[5]) et Rhoxolani iam annis 67/68 et 68/69 Danuvium transgressi sunt. Hanc enim gentem duobus illis continuis annis Moesiam vastavisse elucet e Tac. hist. I. 79, ubi verba 'priore hieme caesis duabus cohortibus' cum Heraeo ad hiemem anni 67/68 referenda sunt. Nam cum Tacitus, quae de Sarmatarum clade tradit, inserat inter ea, quae mense Ianuario[6]) et pridie Id. Mart. anni 69[7]) facta sunt, hoc loco hiems anni 68/69 nullo modo 'prior hiems' appellari potest.

De tempore autem Fontei cladis haec enucleari possunt: Si recte sunt explicata, quae supra[8]) proposui, sequitur, ut Fonteius Agrippa trucidatus sit, antequam legio V Macedonica altera parte anni 71 in Moesiam rediit. Atque quoniam et anni 67/68 et anni 68/69 hieme Sarmatae in Moesiam irruperunt, probabile est eos hieme aut anni 69/70 aut anni 70/71 incursionem redintegrasse. Cum autem Iosephus l. l. dicat hoc bellum Sarmaticum eodem fere tempore *(κατὰ τὰς αὐτὰς ἡμέρας)* gestum esse atque bellum Batavorum, nescio an colligendum sit gravissimam illam cladem initio anni 70 acceptam esse: bellum Batavorum enim autumno anni 70 ad finem

[1]) Goyau, Chronologie de l'empire Romain, Paris 1891 p. 146. [2]) bell. Iud. VII 4, 3, 90 Niese. [3]) Tac. hist. III 46. [4]) R.-G. V p. 199. [5]) Tac. hist. III 5. [6]) Ib. I 41; 64. [7]) Ib. I 90. [8]) p. 56sq.

perductum esse videtur[1]). Initio vero anni 70 vel propterea Romani facile a barbaris vinci potuerunt, quod legiones tum non iam supplemento compleri potuerant. Quocum optime congruit, quod legionem XIV Geminam, quam e Germania inferiore in superiorem provinciam transisse, ut legioni VII Claudiae succederet, probabili coniectura Ritterling[2]) proposuit, iam ante autumnum anni 70 e Germania inferiore discessisse Tacitus[3]) refert. — Quo e loco Taciteo autem cum Ritterlingio concludere Agrippam aestate anni 70 occisum esse non necesse est. Nam primum fieri potuit, id quod Ritterling ipse admonuit[4]), ut legio XIV Gemina non statim legioni VII Claudiae succederet; deinde legione XIV Gemina deducta[5]), antequam tempestates aequinoctiales quae dicuntur coortae sunt[6]), tot tantaeque res gestae sunt, ut in iis gerendis magnam partem anni 70 consumere opus esset. Quod autem de legione X Gemina Ritterling protulit, iam a Jünemanno[7]) refutatum est. Denique ex eo, quod hoc ipso loco Tacitus de statu belli Iudaici Hierosolymorum obsidioni antecedente verba fecit[8]), nescio an efficiatur, ut pugna ad Vetera commissa sit eodem fere tempore, quo Titus castra ad Hierosolyma admovit; id quod non post mensem Aprilem anni 70 factum esse e Hoffmanni[9]) ratiocinatione cognosci potest. Quare coniciat quispiam legiones Moesiacas aliquanto ante illum mensem fugatas esse atque Sarmatas in Moesiam invasisse hieme anni 69/70 'eo tempore, quod amicissimum illis, difficillimum Romanis' erat[10]). Ab altera parte verisimile est primis anni 70 diebus cladem Romanorum aut non iam acceptam aut certe nondum Romam nuntiatam esse, quoniam Mucianus tum Moesiacum exercitum satis magnum esse putabat[11]). Denique pro certo confirmari potest, opinor, iam ante mensem Septembrem eius anni illud detrimentum resartum esse, quia Titus, cum Hierosolymis captis exercitum dimitteret, neque legionem V Macedonicam neque aliam legionem in Moesiam transtulit[12]).

---

[1]) Tac. hist. V 23 + 24. [2]) WDZ 12 p. 114. [3]) hist. V 19 + 23. [4]) l. l. p. 111. [5]) Tac. hist. V 19. [6]) Ib. V 23. [7]) l. l. p. 38. [8]) hist. V 1—13. [9]) Hoffmann, De imperatoris Titi temporibus recte definiendis, diss. Marpurgii 1883 p. 20 sq. + adn. 4. [10]) Plin. paneg. 12; cf. Müllenhoff, Deutsche Altertumskunde III p. 159. [11]) cf. supra p. 56. [12]) cf. supra p. 42 + adn. 5.

TABULA ARGUMENTI.

NOTABILIA QUAEDAM.

VITA.


Natus sum Otto Felix Beuchel Lipsiae a. d. XVI Kal. Apr. anni 1877 patre Maximiliano, matre Theresia e gente Richter, quos mihi adhuc superstites esse laetor gaudeoque. Fidei addictus sum evangelicae.

Lipsiae cum per tres annos in ludo versatus essem, parentes in urbem Greiziam se contulerunt. Ibi litterarum elementis imbutus anno 1887 gymnasii principalis discipulis adscriptus sum. Anno 1888, cum parentes Lipsiam redissent, receptus sum in scholam Thomanam adhuc rectore Aemilio Jungmanno florentem. Vere anni 1896 maturitatis testimonio exstructus me inter cives almae matris Lipsiensis referendum curavi atque, postquam per anni spatium stipendia patria in urbe merui, studiis philologicis me dedidi.

Docuerunt me viri illustrissimi de Bahder, Berger, Biedermann (†), Brugmann, Buchholz, Cichorius, Gardthausen, Heinze, Hofmann, Holz, Immisch, Jungmann, Köster, Lamprecht, Lipsius, Marcks, Marx, Ribbeck (†), R. Richter (†), Schiller (†), Schneider, Schreiber, Seeliger, Sievers, Strümpell (†), Studnizka, Wachsmuth, Wundt.

Cum per ter sex menses proseminarii philologici exercitationibus Immischio moderante interfuissem, per sex menses senior, humanitate Lipsii et Wachsmuthii receptus sum in seminarium philologicum, cuius per ter sex menses sodalis fui ordinarius auspiciis Lipsii, Wachsmuthii, Marxii, per tres menses senior. Ad seminarium historicum me admiserunt Gardthausen per unum, Cichorius per tria, Wachsmuth per sex semestria. Seminario paedagogico ut per ter sex menses adscriberer, Richteri comitate permissum est. Ad societatem historicam Cichorius per tria semestria, ad antiquariam societatem Graecam Lipsius aditum patefecit. Exercitationibus archaeologicis ut per senos menses interessem, Schneider et Schreiber concesserunt.

Quibus viris humanissimis omnibus quantum debeam nunquam obliviscar. Imprimis autem cum Lipsium, tum Wachsmuthium et Cichorium, qui studiorum meorum fautores exstiterunt, pio gratoque animo semper prosequar.


Tabula
stationum legionum
Moesiae inferioris.
Gertina
Dinogetia
Barboşi
Kartal
Draschna-de-sus
Troesmis
Tulcea
Cius
Istrus
Kalakiöi
Axiopolis
Tomi
Kokaridža
Drobetae
Kladovo
Recari
Staveni
Kadi kiöi
Durostorum
Tropaeum Traiani
Rjahovo
Sexanta Prista
Reka
Celei
Ratiaria
Almus
Oescus
Belene
Novae
Sistov
Carevec
Besli
Brest
Gauren
Sirakovo
Altimir
Dolnja-Verenica
Bjela Stalina
Kutlovica
Čumakovci
Kamenopolje
Karagač
Stalina
Hadži Musa
Mekiš
Nedan
Bederli
Dermanci
Rahovica
Ezerče
Hjusendže
Popovo
leg. I Italica
leg. XI Claudia
leg. V Macedonica
stativa
stationes
loca, ubi praeterea tituli legionum reperti sunt.